SYNODUS DIOECESANA

CASTELLANETENSIS


HABITA DIE 28 MENSIS APRILIS ANNI 1839.

SUB PRAESULATU

Illustriss. et Reverendiss. Domini

PETRI LEPORE

PATRICII TRANENSIS, SACRAE THEOLOGIAE, ET J. U. DOCTORIS, DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA, EPISCOPI CASTELLANETENSIS, BARONIS FEUDORUM CASTILIONIS, ET LEMNAE, DOMINI GUALLELLAE, TERMITOSAE etc. SS. D. N. GREGORII PAPAE XVI. PRAESULIS DOMESTICI, ET PONTIFICIO SOLIO ASSISTENTIS.



NEAPOLI

TYPIS SOCIETATIS PHILOMATHICÆ.

MDCCCXXXIX.

Copia ec. Ministero e Real Segreteria di Stato degli Affari Ecclesiastici—2. Ripartimento. N. 3595.

Ill.mo e Rev.mo Signore

In seguito della domanda fatta da V. S. Ill.ma e Rev.ma di poter pubblicare il Sinodo Diocesano ultimamente tenuto, e di cui rimise copia in questo Ministero e Real Segreteria di Stato; la Consulta de' Reali Dominii di qua del Faro ha opinato, che S. M. (D. G.) possa avere la degnazione di concedere il chiesto Reale assentimento sugli atti del cennato Sinodo colle clausole salutari, *salve le Leggi*, *la Polizia del Regno*, *e le disposizioni del Concordato*, di permetterne la chiesta pubblicazione, e di commendare la pietà, lo zelo, e la cura pastorale dell' Ordinario.

E la M. S. nel Consiglio Ordinario di Stato del dì 12 andante mese, in conformità dell' avviso della Consulta si è degnata permettere la pubblicazione del Sinodo colle condizioni espresse.

Il che nel Real Nome partecipo a V. S. Ill.ma e Rev.ma per sua intelligenza e regolamento.

Napoli 18 *Settembre* 1839.

D' ANDREA.

Monsignor Vescovo di Castellaneta

DIOECESANAE SYNODI INDICTIO

NOS PETRUS LEPORE

PATRITIUS TRANENSIS, SACRAE THEOLOGIAE, ET J. U. DOCTOR, DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA, EPISCOPUS CASTELLANETENSIS, BARO FEUDORUM CASTILIONIS, ET LEMNAE, DOMINUS GUALLELLAE, TERMITOSAE ETC. SS. D. N. GREGORII PAPAE XVI. PRAESUL DOMESTICUS, ET PONTIFICIO SOLIO ASSISTENS.

Cum post Oecumenici Concilii XII. sub Innocentio III. habiti, nec non XVII. a Martino V. indicti decreta, iterum statuerint Patres Tridentini, ut quisque in sua Dioecesi Episcopus quotannis Synodum celebret: Nos post exactas vicissitudines temporumque discrimina, quae Castellanetensem Ecclesiam per longum pene trium saeculorum spatium affecerunt, ipsorum Patrum iussibus obtemperare volentes, his litteris edictalibus ea, quae ad Synodum propemodum adunandam necessaria sunt, stabilimus et declaramus.

1. Die igitur vigesima octava Mensis Aprilis, quae est Dominica IV. post Pascha, anni currentis 1839, in hac Nostra Cathedrali erit prima huius Synodi sessio, ad duos proxime sequentes dies, si id postulet necessitas, protrahenda.

2. Omnes et singulae Nostrae Cathedralis et caeterorum Capitulorum dignitates et Canonici, atque omnes Nostrae Ditionis Archipresbyteri, Parochi, Curati, Cappellani, Beneficiati, Rectores, aliique, qui iure vel consuetudine interesse debent, advocari intelligantur: qui sub poenis incurrendis habitu talari, propriisque insignibus ornati, ad praedictam Cathedralem Castellanetensem personaliter se conferent.

3. Si quis ex praefatis se legitime impeditum dicere habeat, sex ante dies Nostro Vicario Generali proferat causam, et post nostram approbationem de speciali mandato per Procuratorem suppleatur.

4. Et quoniam sine Spiritus Sancti adiutorio ne quidem cogitare aliquid a Nobis sufficientes sumus; ut nostra imbecillitas Omnipotentis Dei praesidio fulciatur, omnibus tum Saecularibus, tum Regularibus Nostrae Dioecesis Sacerdotibus iniungimus, ut in Missa Collectam de Spiritu Sancto addant: omnibus vero utriusque sexus fidelibus, ut Litaniam Beatae Mariae Virginis post SS. Sacramenti visitationem usque ad praesentis Synodi terminum, devote recitent.

5. Volumus autem, ut per Parochos aliosve ab iis deputatos Presbyteros moneatur populus, Leonem f.r. Papam XII. litteris in forma Brevi Nobis datis sub

annulo Piscatoris die 19. Aprilis 1827, ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intentum, ut hoc tam laudabile opus maiori cum fructu fieret, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac S. Communione refectis, qui Cathedralem Ecclesiam die, qua dicta Synodus, ut supra, inchoabitur, ac in omnibus et singulis actualis illius celebrationis diebus visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam semel tantum omnium suorum peccatorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Deo concessisse.

6. Illud tandem praecipimus, ut hoc Edictum in valvis Nostrae Cathedralis, aliarumque Ecclesiarum Nostrae Dioecesis Parochialium usque ad Synodi celebrationem affixum remaneat, valeatque ac si singulis fuerit personaliter notificatum.

Datum Castellanetae ex aedibus Nostri Episcopalis Palatii die 1. Mensis Martii 1839.

PETRUS EPISCOPUS CASTELLANETENSIS.

ALLOCUTIO

Est hoc in more positum, Fratres dilectissimi, Consacerdotes Venerabiles, institutoque maiorum, ut in Ecclesia Dei habeantur Sacra Comitia, quibus provideatur Fidei deposito, Pastorum Doctorumque exacuatur sollicitudo, malisque hominum moribus, veluti inter triticum zizaniis fortasse gliscentibus, occurratur. Quamvis enim haec omnia satagere Episcopalis muneris sit, cum Nostris humeris gravissima fideles regendi sarcina imposita fuerit; Synodales tamen Conventus cogi semper salutare visum est, atque tum veteris Ecclesiae exemplis, tum Summorum Pontificum constitutionibus, tum denique Generalium Conciliorum oraculis saepe saepius insinuatum. Quod quidem eo spectat, ut cum res communis agatur, civitas vero ex Aristotile illud maxime sit quod est in ea principale, Ecclesiastici Praepositi quid ferendum, quid corripiendum, quid reformandum sit conseniorum ope prospicientes, quae utiliora esse videbuntur, populis suscipienda proponant. Cuius rei extat illud in Scripturis (1): *Venit Moyses, et convocans maiores natu populi exposuit omnes sermones, quos mandaverat Dominus; respond itque omnis populus simul: Cuncta, quae locutus est Dominus, faciemus. Quemadmodum ut de Civitate*

(1) *Ex.* 19.

David, idest de Sion deferrent arcam foederis Domini, in qua duae tabulae lapideae erant, quas posuerat in ea Moyses in Horeb, congregati sunt omnes maiores natu Israel cum principibus tribuum, et duces familiarum in Ierusalem (1). *Quantum autem detrimenti capiat Christiana Respublica ex inominata Synodorum intermissione commonstrant depravati Christianorum sermones, qui ut cancer serpunt, crimina nullatenus depressa, fallax iustitiae statera, fervor bonorum attenuatus, relaxata disciplina, Sacerdotalia munia proculcata, Sanctuarii honor pollutus, atque, ut omnia brevi expediamus, immutata illa rerum facies, qua non ut sponsam viro suo ornatam, sed ut viduam misere lugendam pertranseuntium oculis se praebet.* Ex quo inter Sacerdotes (*ad rem in Priscillianistas Leo Magnus invehebatur*) difficiles commeatus et rari coeperunt esse conventus; invenit ob publicam perturbationem secreta perfidia libertatem; et ad multarum mentium subversionem his malis est incitata, quibus debuit esse correpta. *Sicut enim cymba rapidissimi fluminis cursum sequens deorsum labitur, nisi remis velisque studio non intermisso in partem adversam agas; ita homines in carnis et sanguinis corruptelas proni sunt, nisi legibus identidem renovatis, quasi repagulis quibusdam coerceantur. Huc accepta referenda sunt, quae Tridentini Patres* (2) *de Synodis quotannis habendis edixerunt; quorum decreta et per Constitutionem Benedicti nomine*

(1) *Reg.* 3. *cap.* 8.
(2) *Sess.* 24. *de Ref. cap.* 2.

XIV. (Quamvis Paternae Vigilantiae) *et per Concordatum de die* 16. *Feb.* 1818. *inter Religiosissimum Regem olim nostrum* FERDINANDUM, *atque* PIUM *s. m. VII. Pontificem Maximum* (1) *summopere commendata sunt.*

Hanc autem, Venerabiles Fratres, Filiique carissimi, Castellanetensem Ecclesiam, quam dudum regendam Nobis commiserunt, instauratione quadam indigere comperiebamus; quippe quae duobus abhinc ultra dimidium saeculis, a Synodo nempe Dioecesana per Illustrissimum Reverendissimum Dominum Bernardum Beneditti anno 1590 *convocata, in moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis ab Episcopis sibi invicem succedentibus summarie administrari visa est. Ast licet Nobis saepe fuisset in votis, ut Synodo manum admoveremus, aliis tamen atque aliis distenti curis, iis praesertim, quibus ad Seminarium pene e fundamentis erigendum, reditibus instruendum, clericisque excipiendis accommodandum toti revocabamur, sanctum amandabamus consilium tempore opportuniori complendum. Si quidem nihil nos pressius urgebat, quam Pontificiae Benedicti XIII. Litterae, quibus declaratum est, Clericos, ubi a teneris annis, ceu plantae novellae benegniori cultura educentur, litterarumque scientia in Seminariis accurate informentur, cum postea ad laboriosa Ecclesiastica ministeria in Vineam Dominicam transplantantur, Ecclesiarum regimini populorumque saluti maxime esse fructuosos. Venit tandem felix hora, et nunc*

(1) *Art.* 20. *del Concordato del* 21. *Marzo* 1818.

est, quum non Nobis, sed gratia Dei Nobiscum operantibus, Seminarium Nostrum crescere et fructificare videamus ita, ut ad ea, quorum Dioecesi universae opus est, labores nostros collineare possimus.

Nunc igitur vestrum flagitamus adiutorium, nunc in partem nostrae sollicitudinis Vos vocamus, Fratres amantissimi. Si falsae in Fide opiniones, si illegitima Sacramentorum tractatio, atque aliqua ad enervandam disciplinam sensim inducta consuetudo oculis vestis obversentur, clamate, infremite, damnate. Ne sitis canes illi muti, qui latrare non valent, sed vigiles illi operarii, qui in Christi Domini hortos missi uberrimos fructus attulerunt. *In mentem Christifidelibus refricate assiduis vestris concionibus, quod ad Titum scribebat Apostolus*: Salvatorem nostrum dedisse semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem, ut impietatem et saecularia desideria abnegantes, sobrie, pie et iuste in hoc saeculo vivamus. In omnibus vero vos ipsos praebete exemplum bonorum operum irreprehensibiles, sobrios, prudentes, ornatos, pudicos, hospitales; in uno spiritu unanimes, fidei Evangelii collaborantes. *Sic enim individua Christi Ecclesia fiet* plebs Sacerdoti adunata, et Pastori suo grex adhaerens (1).

Illud restat, ut sursum corda nostra mentemque nostram elevemus, quum omne datum optimum a Patre luminum descendat. Ab eo Spiritum sapientiae petamus, Spiritum consilii, et fortitudinis, Spiritum scien-

(1) *Cyprian. Epist.* 69. *ad Papianum.*

tiae et pietatis; ut in medio nostrum sit, et supra singulos nostrum sedeat. Cum fiducia pariter Virginem Matrem in Coelum Assumptam, hujus Ecclesiae Cathedralis singularem Patronam, invocemus, ut hanc sub eius tutela inchoatam Synodum feliciter absolvamus. Sanctissimos autem Apostolos, eorumque Caput et Ducem Petrum deprecemur, ut Coetui huic, Omnipotentis Dei nomine collecto, praesentissimo eorum patrocinio interesse dignentur. Caelesti enim gratia suffulti certi esse poterimus, et leges emanaturos aptiores, et praescripta libentius executuros. Superna huiusmodi spe succensi Pastoralem Benedictionem elargimur: in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

PARS PRIMA

HABITA DOMINICA IV.

POST PASCHA DIE VIGESIMA OCTAVA MENSIS APRILIS ANNI 1839.

Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Episcopus Pontificalibus insignibus, prout ex Pontificali Romano, indutus, ab Aula Episcopali processionaliter Capitulo, Clero universae Dioecesis, caeterisque de iure comitantibus, ad Ecclesiam Cathedralem dicta die perrexit, ibique Campanarum et Organi festivo sonitu receptus, sumptaque ab Admodum Reverendo Archidiacono Aqua benedicta, qua Canonicos, reliquosque de Clero, aliosque adstantes aspersit: deinde in Sacello SS. Sacramenti oratione facta, ad Altare Maius processit, in quo Missa de Spiritu Sancto sollemniter celebrata, allocutione ad Clerum, et reliquis iuxta praescriptum Pontificalis Romani adimpletis, ut sequentia Decreta ab Episcopalis Curiae Cancellario promulgarentur in Domino iussit.

DE SYNODO INCHOANDA

Nos PETRUS LEPORE, Dei et Apostolicae Sedis Gratia, Castellanetae Episcopus, huic primae Nostrae Dioecesanae Synodo sub faustis auspiciis Salvatoris Nostri Jesu Chri-

sti, Matris eius in Coelum Assumptae, et Sancti Nicolai Episcopi Myrensis, singularis Civitatis huius Patroni, manum admovemus, quorum ope Cleri populique nostri mores reformandos ac Christianam Pietatem roborandam, nihil haesitantes, confidimus.

DECRETUM PRIMUM

Si forte quis non suo Ordine nominari, vel loco non suo sedere, incedere contigerit, volumus, ut nemini praeiudicium inferatur, et nemo novum jus acquirat; ideo omnia in eo statu remaneant in quo ante Synodi inchoationem inveniebantur. Nullus item discedere praesumat, nisi cunctis Synodi functionibus omnino peractis.

DECRETUM SECUNDUM DE SYNODI OFFICIALIBUS.

Ut in praesenti Dioecesana Synodo omnia serventur, quae Sacri Canones, et praesertim Concilium Toletanum IV. decernit, eiusdem Synodi quosdam Officiales deputamus, quibus Decretorum, Scripturarum, Personarum, aliarumque rerum Synodalium per singulas partes curae demandantur. Sunt videlicet:

SYNODI PROMOTORES

Admodum Rev. J. U. Doctor D. Petrus Tinella Canonicus Poenitentiarius Nostrae Cathedralis Ecclesiae et Lector Moralis Theologiae in hoc Nostro Venerabili Seminario, et Admodum Reverendus D. Joannes d'Alagni Canonicus huiusmet Nostrae Cathedralis Ecclesiae.

SYNODI SECRETARIUS.

Admodum Rev. D. Dominicus Buttiglione Canonicus Insignis Collegiatae Ecclesiae Motulensis.

MAGISTRI CAEREMONIARUM.

Admodum Rev. D. Thomas Canonicus Meledandri, Admodum Rev. D. Xaverius Canonicus Meledandri, et Rev. D. Franciscus Portionarius Meledandri, huius Nostrae Cathedralis Ecclesiae.

HOSPITALIUM PRAEFECTUS.

Admodum Rev. D. Archangelus Bufano Nostrae Cathedralis Ecclesiae Canonicus, eiusque Coadiutores Admodum Rev. D. Joannes Ventrella Canonicus, Rev. D. Joseph Ventrella Portionarius, et D. Philippus Tucci eiusdem Cathedralis simplex Sacerdos.

SYNODI NOTARIUS.

Admodum Rev. D. Dominicus Fiorito Canonicus Nostrae Cathedralis, ac Reverendissimae Nostrae Curiae Cancellarius, eiusque coadiutor D. Ignatius Conte Cathedralis Portionarius.

JUDICES QUERELARUM.

Admodum Rev. D. Franciscus Cassano Cantor et Secunda Dignitas, Admodum Rev. D. Nicolaus Spissi Thesaurarius

Curatus et Tertia Dignitas, et Admodum Reverendus D. Angelus Sarapo Canonicus huius Nostrae Ecclesiae Cathedralis.

PROCURATORES CLERI.

Admodum Rev. D. Antonius Gentile Nostrae Cathedralis Ecclesiae Canonicus, et Admodum Reverendus D. Stephanus Frisino eiusmet Ecclesiae Cathedralis Canonicus.

DECRETUM TERTIUM.

Sacrosanctum Concilium Tridentinum statuit (1) nullum ad Parochiale Beneficium eligi, nisi praevio examine, seu concursu, coram tribus Examinatoribus in Synodo adprobatis. Decrevit insuper praedictos inter Ecclesiasticos doctiores, prudentiores magisque pietate fulgentes seligendos esse, qui pariter de munere fideliter exercendo ad S. Dei Evangelia iurare teneantur. Horum partes sunt ad trutinam non solum concurrentium peritiam revocare, sed quoque, Episcopo Praesidente, eorum aetatem, prudentiam, requisita, et caetera, quae pro recto Parochiae regimine necessaria arbitrantur. Nos itaque huic Conciliari Decreto inhaerentes, nominamus, ut sint

EXAMINATORES SYNODALES.

Reverendissimus J. U. Doctor D. Alexander De Felice Vicarius Generalis, et Rector Venerabilis Clericorum

(1) Sess. XXIV. Cap. VIII.

Seminarii Dioecesani, nec non Dogmaticae Theologiae, Jurisque Ecclesiastici Praecessor.

Admodum Reverendus J.U.D. Dom. Iosephus Tafuri Archidiaconus et Prima Dignitas Nostrae Cathedralis Ecclesiae.

Admodum Rev. D. Nicolaus Spissi Nostrae Cathedralis Ecclesiae Thesaurarius Curatus et Tertia Dignitas.

Admodum Rev. D. Petrus Maldarizzi Archipresbyter et Quarta Dignitas Nostrae Cathedralis Ecclesiae.

Admodum Rev. J. U. D. Dom. Petrus Tinella Nostrae Cathedralis Ecclesiae Canonicus Poenitentiarius, et in Nostro Verabili Seminario Moralis Theologiae Antecessor.

Admodum Rev. D. Ioannes d'Alagni Nostrae Cathedralis Ecclesiae Canonicus.

Admodum Rev. J. U. D. D. Franciscus Caramia Insignis Collegiatae Ecclesiae Motulae Archidiaconus Curatus et Prima Dignitas.

Admodum Rev. D. Sebastianus Putignano Insignis Collegiatae Ecclesiae Motulensis Cantor et Secunda Dignitas.

Admodum Rev. Sacrae Theologiae Doctor D. Franciscus Antonius Lemarangi Insignis Collegiatae Ecclesiae Motulae Canonicus Theologus.

Admodum Rev. D. Paschalis Semeraro Insignis Collegiatae Ecclesiae Motulae Canonicus, et in hoc Nostro Venarabili Seminario Philosophiae et Matheseos Antecessor.

Admodum Rev. D. Nicolaus Frappietri Insignis Collegiatae Ecclesiae Massafrae Canonicus Prior, quinta Dignitas et Vicarius Curatus.

Rev. D. Xaverius Lazazzera Terrae Palatiani Archipresbyter Curatus.

Admodum Rev. P. Aloysius Montera Sacrae Theolo-

giae Magister et Ex-Provincialis Ordinis Praedicatorum in Conventu Tarentino.

Admodum Rev. P. Alphonsus Valente Lector Ordinis Praedicatorum, et Prior in Conventu Tarentino.

Admodum Rev. P. Ferdinandus Matera Lector et Ex-Provincialis Ordinis Capuccinorum in Conventu Massafrae.

Placent ne Vobis? Responderunt: placent.

SYNODI PARTITIO.

Ut D. O.M. quemadmodum loquitur Augustinus, *se esse Dominum commoneret*, legem primo homini tulit, ut ex omni ligno Paradisi comederet, de ligno autem Scientiae boni et mali ne comederet (1). At non multo post a Diabolo, qui veri serpentis organo usus fuit, Eva seducta praeceptum Dei transgressa est, et postea virum suum in idem crimen induxit. Non sibi autem tantum, sed et posteris Adam nocuisse Catholica fides docet: *Per unum hominem*, sic ad Romanos Apostolus (2) *peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Quae non de imitationis, sed verae transfusionis peccato esse accipienda, plura contra Pelagianos Concilia (3) asseverarunt. Verum longam malorum nostrorum iliadem miseratus Deus, per Unigenitum Filium suum

(1) Gen. Cap. 2. v.
(2) Ep. 1. ad Rom. Cap. 5. v.
(3) Conc. Milevit. Can. 2. et Trident. Sess. 3. Can. 2.

Paradisi ianuas iterum reseravit, effecitque, ut *sicut per unius inobedientiam* peccatores constituti homines fuerant, ita et multi *per unius obedientiam* iusti constituerentur. At quaenam Nobis media Christus Jesus suppeditavit ad iustitiam, ex qua decideramus, recuperandam? I. Dei eiusqe mysteriorum notitiam Nobis aperuit; ut in Fidei obsequium captivaremus intellectum: *Qui crediderit, salvus erit, qui non crediderit, condemnabitur* (1) II. Sacramenta eorumque usum instituit, ut per ea acciperemus Sanctificationem: uti est illud: *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum* (2). Item illud aliud: *Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum* (3). III. Sanctissima denique praecepta nobis tradidit, ut iis morem gerentes vitam aeternam assequeremur: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (4).

Quae cum ita sint, quum Salvator Noster Pastores in sua Ecclesia posuerit in opus tanti ministerii, quot partes sibi vendicet haec a Nobis tenenda Synodus, longe perspicuum est. Prima ergo Orthodoxae fidei professionem, eiusque practica consectaria complectetur; eaque omnia, quae Fidei Romanae et Conciliorum definitionibus omnino absona vel parum consona sunt, reiiciet et castigabit. Altera Sacramentorum numerum, ordinem, rectamque administrationem respiciet. Tertia tandem disciplinae Ecclesiasticae leges nova sanctione solidabit.

---

(1) Marc. Cap. 16. v. 16.
(2) Actor. Cap. 2. v. 38.
(3) Act. Cap. 8. v. 17.
(4) Math. Cap. 19. v. 17.

Mittat Deus auxilium Nobis de Sancto, et de Sion tueatur Nos, ut dum pro Christo legatione fungimur, non simus sicut plurimi adulterantes Verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo coram Deo, in Christo loquamur (1).

CAPUT PRIMUM

De Fide.

1. *Est Fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.... Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit* (2). Nulla igitur virtus est hac virtute nobilior, nullus maior thesaurus, quum ipsa sit primus gradus, quo ad Deum homo appropinquat, primum cordis animique Sacrificium, *omnis iustificationis radix, totiusque salutis fundamentum* (3). Huic Sacrosanctae doctrinae Patres litantes, fidem, veluti Christianae Vitae primitias, bonorumque operum semen traducunt, atque adeo tamquam aliarum virtutum compendium venerantur.

2. Nemo autem Dei inaccessibilem lucem inhabitantis praesumat scrutari mysteria. Praeterquamquod *periculosam rem facit mysteria Dei curiose examinans* (4),

(1) Ad Cor. Ep. 2. Cap. 2. v. 17.
(2) Ad Hebr. Cap. 11. v. 1.
(3) Trid. Sess. 6. Cap. 8.
(4) Chrysost. hom. 27. in epist. ad Roman.

nullum ei superest meritum, qui non Dei revelantis auctoritati, sed humanae rationis examini conquiescit. *Quae esset fidei merces, nisi lateret quod credimus?* (1) Hinc Rectores animarum, Sacerdotes Evangelici *descendant*, et, ut olim Judaicam nationem Moyses sub Sinae radicibus, *contestentur populum, ne velit transcendere terminos ad videndum Dominum* (2).

3. Sciant porro fideles, tenaciter firmiterque iis inhaerendum, quae docti sumus per fidem, et dum Crucis mysterium est *Iudaeis scandalum*, *gentibus autem stultitia*, ipsi in Domini Nostri Jesu Christi Cruce glorientur. Stabiles sint et immobiles, *sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt*, *sive scientia destruetur* (3). Meminerint prae coeteris illud Christi monitum: *Videte, nequis vos seducat* (4). Sicut enim iam ab Apostolorum aevo erant, qui Galatas *conturbarent et Christi Evangelium convertere* vellent (5); ita et nostra tempestate non desunt in Ecclesia inquieti quidam homines, et in novas res avidi, qui vel in dubium revocantes quae mente non capiunt, vel audacter inficiantes quae sibi impossibilia videntur, vel ignominiantes, modo hanc, modo illam religionis veritatem, orationibus et libris *quaecumque ignorant blasphemant* (6). Plurimi ergo refert, ut consilio quam

---

(1) Aug. in Psal. 119.
(2) Ex. Cap. 19. v. 12.
(3) 1. Cor. Cap. 13. e 19.
(4) Marc. 13. v. 5.
(5) Ad Gal. Cap. 1. v. 7.
(6) Iud. v. 10.

possunt, labore plus bene quam possunt, excubent fideles, vigilent, *observentque eos, qui dissentiones et offendicula praeter doctrinam, quam didicerunt, faciunt, et declinent ab illis* (1), *ne quis eos per philosophiam et inanem fallaciam decipiat* (2). Huiuscemodi enim *Christo non serviunt, sed suo ventri, et per dulces sermones et benedictiones corda fidelium illiciunt* (3).

4. Neque minus Christiano populo curandum, ne aliquid veteri primorum soeculorum fidei apponatur vel dematur. Tum Deus Isaac et Iacob hoc ipsum Iudaicae genti mandaverat: *Non addetis ad verbum quod ego praecipio vobis, neque auferetis ex eo* (4). Quae lex in veteri testamento rogata ad refringendam eorum audaciam, qui vel rerum a Deo revelatarum sensum evertebant, vel falsa pro veris tamquam a Deo revelata venditabant, novissime per ipsum Unigeniti Filii Dei os et doctrinam iterata fuit, quemadmodum Apostolus aiebat: *Licet nos aut Angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit* (5). Unde Basilius: *Infedelitatis, ait, argumentum erit et signum superbiae certissimum, si quis eorum, quae scripta sunt, aliquid velit reiicere, aut eorum, quae non sunt scripta introducere* (6). Valeat igitur apud nos Theologorum recepta

(1) Rom. Cap. 16. v. 17.
(2) Coloss. Cap. 2. v. 8.
(3) Rom. Cap. 16. v. 18.
(4) Deut. Cap. 4. v. 2.
(5) Galat. Cap. 1. v. 8.
(6) Serm. de Fid. Confession.

regula : *Verum quod prius traditum*, *falsum quod recens inventum.*

5. Quod si forte contingat, ut cum vitae impendio fidei Catholicae dogmata defensanda videantur, vel tantillum haesitare nefas. Utcumque saeviant persecutiones et minae, aemulemur oportet exempla fortium, *qui extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum. Ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt* (1). *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia* (2). *Irritam quis faciens*, sic terribili sermone Paulus, *legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit?* Hinc sit unicuique animo insculptum quod Hypponensis Episcopus clamat: *Fides officium a nobis exigit et cordis et linguae* (3).

6. Et quoniam singula haereticorum conventicula se veram fidem profiteri perstrepunt, solam Romanam Ecclesiam, *ad quam non una natio, non unus angulus, sed magis multitudo convertitur* (4) germanam Christi reli-

---

(1) ad Hebr. Cap. 11. v. 34. et 36. et 37.
(2) ad Hebr. Cap. 10. v. 26.
(3) de fide, et symb. Cap. 1.
(4) Vinc. Lirin. in Commonit.

gionem retinuisse compertissimum sit. Ipsa *Civitas ea Sancta est, cuius murus habet fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni*(1). Ipsa successionem habet non interruptam Pastorum usque ad Apostolos pertingentem, cum unaquaeque secta ab ipsa Petri Sede recto tramite non procedat. Habent Calvinistae fidei suae parentem Calvinum; agnoscunt Lutherani Lutherum; denique cuilibet haeresi proprius adsignatur Architectus. Romanae autem Ecclesiae nullus praeter Apostolos fidei auctor est. Sequamur ideo auctoritatem eius, atque omnes cum Tertulliano clangamus: *Ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt!* (2)

7. Romanum vero Pontificem, cui in persona Petri Christus oves et agnos commisit pascendos, *Episcoporum* esse *Episcopum* (3), *Praefectum totius Orbis*, *et caput Familiae Christi* (4), *omnium Christianorum Patrem et Doctorem* (5), *Centrum denique catholicae unitatis*, nemo sit, qui agnoscere detrectet. Supremam eius tum in Patriarchas et Episcopos, tum in universum credentium gregem iurisdictionem a Deo ipso esse repetendam, non autem humanis institutionibus attribuendam (ut falso Eterodoxi commurmurati sunt) sit unicuique firmissimum. In rebus dubiis ad fidem vel mores pertinentibus iudicium eius

---

(1) Apoc. cap. 21. v. 14.
(2) Lib. de Praescript. 36.
(3) Tert. de Pudicit. Cap. 1.
(4) Chrysost.
(5) Concil. Florent. Sess. 6.

exquiratur; quumque ipsum locutum esse constiterit, privata oracula taceant. Perbelle quadrat quod in causa Pelagii Carthagine concionabatur Augustinus: *Tum duo Concilia missa sunt ad sedem Apostolicam; inde etiam Rescripta venerunt. Causa ergo finita est* (1). Sanctissimo praesertim Domino Nostro Papae Gregorio XVI. (quem Deus diu sospitet) virtutibus omnibus ad miraculum exornato aptemus necesse est quae Bernardus ad Eugenium scribebat: *Quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex. Tu princeps Episcoporum, tu haeres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, unctione Christus* (2).

8. Qua profecto auctoritate divinitus nobis concredita pollemus, omnes haereticorum et Schismaticorum, praesertim Novatorum errores improbamus atque anathematizamus. Ne infelix lolium in iis dominetur sulcis, quibus grandia hordea, Dei scilicet verbum, mandata sunt. Versentur animo omnes et contremiscant, a Divino Patrefamilias zizania in fasciculos colligi, mittique ad comburendum. Hac ratione a Pseudo-prophetis caveant, quibus non credendum Deus iussit, quamvis quod locuti fuerint, evenerit: *Noli credere verbis prophetae illius aut somniatoris; quia tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat an diligatis eum* (3). Similiter et a legendis vetitis libris abstineant,

(1) Serm. 132. alias 2. de Verbis Apost.
(2) Lib. 2. de Considerat.
(3) Deuteron. Cap. 13. v. 3.

in quibus venenum multifariam propinatur; hi enim vel pravis suis dogmatibus intellectum vitiant, vel suis obscoenis argumentis animum emolliunt, atque corrumpunt. Vincatur ille nisus in vetitum: quod enim dulce est, lethale est. *Molliti sunt sermones eius super oleum, et ipsi sunt iacula* (1).

9. Eodem iure ii omnes, qui internam fidei professionem emittere tenentur, in manibus nostris vel Nostri Vicarii eliciant. Hinc intra bimestre id faciat, qui dignitatem vel Canonicatum obtinet vel aliud curatum beneficium (2). Item omnium Sanctimonialium Confessarii pro tempore. Omnes Concionatores, etsi Regulares. Omnes Doctores, Magistri, Regentes, etsi privatim tale munus exerceant (3). Omnes denique qui huic Synodo non interfuerunt.

10. Tandem Vicarios Foraneos et Parochos non fugiat, sibi esse vigilandum, quasi pro fidelium animabus Deo rationem reddituris. Vagantem agnum ad ovile reducant, et si id minus poterunt, auxilium Nostrum implorent. Et si quos contra Fidem sentire norint, Nos statim admoneant, ut vel supremis Potestatibus opem ministrantibus, quae remedia aptiora erunt, a Nobis haud sero indigitentur.

---

(1) Psal. 54. v. 22.
(2) Trid. Sess. 24. Cap. 12. de Ref. et Constit. Pii IV. Iniunctum Nobis.
(3) Constit. Pii V. In Sacramenta.

CAPUT II.

De praecipuo fidei mysterio, nempe de Missae Sacrificio.

1. Sacrosanctum novae Legis Sacrificium, quod Jesus Christus sub panis et vini speciebus instituit, quodque apud veteris Patres Liturgiae, Sacrae Synaxis, Oblationis, Missae, aliisque nominibus venit, speciali quodam iure ab Ecclesia audit *Mysterium fidei.* Nullibi enim magis quam in Sacrificio Altaris fide opus est, ut Lutheri, Kemnitii, Calvini, eorumqne praedecessorum erroribus execratis, unusquisque sibi persuadeat et credat, non aliam hanc esse oblationem quam in Cruce factam: *Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, sola offerendi ratione diversa* (1). *Huic autem summo veroque Sacrificio cuncta Sacrificia falsa cessarunt* (2) adeo ut hoc unum, quod in quotidianis Missis a Sacerdotibus offertur, sit Sacrificium a Rege Salem praefiguratum (3) atque a Malachia praenunciatum (4). Ipsum Latreuticum est, ipsum Eucharisticum, ipsum Propitiatorium. Quocirca Paulus caeteras mensas a Dominica diversas, mensas Doemoniorum nuncupat: *Nolo vos*, sic ad Corinthios, *socios fieri Doemoniorum, non potestis mensae Domini participes esse, et mensae Doemoniorum* (5).

(1) Trid. Sess. 22. Cap. 2.
(2) Aug. Lib. 10. de Civit. Dei.
(3) Gen. Cap. 14. v. 18. e 19.
(4) Malach. Cap. 1. v. 2.
(5) Ep. 1. ad Corint. Cap. 10. v. 20, et 21.

2. Verum enimvero, quamvis Christus in Sacrificio Missae ita sit primarius Sacerdos, qui divina virtute panem et vinum in corpus et sanguinem suum mutat, in Altari se sistit, Deoque offert, ut secundarii Ministri, humani scilicet Sacerdotis improbitas vel negligentia Sacrificii huius effecta non retardet, ut contra Donatistarum haeresim declaravit Tridentinum (1): tamen nefando se scelere coinquinat, qui sine magna animi puritate Minister ad Sacrificium conficiendum accedat. Gravem certe poenam comminatus fuerat Dominus, si quis legali immunditia pollutus Sacramenta Mosaica pertractaret (2), seque percussurum Sacerdotes iuraverat, nisi accedentes ad eum prius sanctificarentur (3). *Quanto putatis*, resumit igitur Apostolus, *deteriora mereri supplicia*, *qui Filium Dei conculcaverit*, *et sanguinem Testamenti pollutum duxerit?* (4)

3. Interiorem autem cordis munditiam oportet ut exterior corporis sequatur comes. Si enim apud profanas gentes, falsasque populorum religiones in id semper intentum; multo magis Jesu Christi D. N. Sacerdotibus studendum est, ut (Christianae plebi ne sint offendiculo) numquam ocreati, numquam brevioribus vestibus succincti, numquam numella, vulgo Collare, destituti ad celebrandum pergant, sed habitu talari, calceis fibula non taenia illigatis, et bene in omnibus compositi, prout decet Sacer-

(1) Sess. 7. Cap. 12.
(2) Lev. 2. vers. 2.
(3) Ex. Cap. 19. v. 22.
(4) Hebr. Cap. 10. v. 19.

dotes Altissimi. Quo spectat illud Regii Psaltis: *Dilexi decorem domus tuae* (1).

4. Privatae preces, seu praeparatio, celebrationi praemittantur a Sacerdote (2) ut eodem tempore sese magis ad Deum per orationem convertat, et sacrificii paulo post futuri fructum adplicet, cui debetur. Finita indi Missa, gratiarum actionem non omittat, et in beneficii tum infandi commemorationem canticum Danielis depromat (3). Qui secus egerit, veluti Judae proditoris asseclam a Chrysostomo se haberi perpendat: *Judam imitantur et isti, qui ante gratiarum actionem discedunt* (4).

5. Nemo interea ad celebrandum proruat, nisi sacras Caeremonias edoctus, quae non *irritabula impietatis, sed officia pietatis* aestimandae sunt (5). Quocirca nuper in Sacerdotium assumpti in caeremoniis rite exequendis assuescant, antequam primam celebrent Missam. Neque ad huius ministerii exercitium in Ecclesiis admittantur, nisi Magistri Caeremoniarum fide exhibita, facultatem a Nobis vel Nostro Vicario Generali in scriptis impetraverint.

6. Unusquisque vero e Nostris Presbyteris mox celebraturus nullibi Missam dicere praesumat nisi in Ecclesia vel privato Oratorio ex privilegio per Sedem Apostolicam concesso; modo illa vel hoc ab Episcopo sit consecratum vel eius auctoritate benedictum, uti statuit Tridentinum (6)

(1) Psal. 25. ver. 8.
(2) Rubric. General. Missal.
(3) Daniel. Cap. 3. v. 52. et sequent.
(4) Hom. de Baptis. Christ.
(5) Sess. 22. Can. 7. Concil. Trident.
(6) Sess. 22. in Decret. de Observ. in Celebrat. Missae.

et ante ipsum Canon *Nullus* (1). Quo autem Altari Episcopus celebraverit, nemo eadem die nisi de eius licentia, Missae Sacrificium peragat. Neque ante Auroram celebret Sacerdos vel post meridiem, nisi Apostolico indulto fruatur: quod tum ex consuetudine Ecclesiastica servandum est, tum ex Const. Pii V. cuius initium: *Sanctissimus*. Tempore vero, quo ab Episcopo concio habetur, vel proxime habenda est, Missam celebrare ne praesumat. Sacras praeterea vestes, quas Valdenses et Novatores irrident, posthabere vereatur. Huius namque rei in veteri Lege Deus praebuit exemplum, in qua Aaron filiique eius tabernaculum ingressuri Pontificalibus indumentis utebantur (2). Ex sacris autem instrumentis Calix et Patena ex auro aut argento intus inaurato omnino sint. Et quemadmodum Sacra paramenta Episcopi benedictione, ita et instrumenta mox enunciata eiusdem consecratione inaugurentur. Quod si quis Praesbyterorum sacrificare audeat, atque omnem loci, temporis, et caeterorum rationem sciens prudensque contemnat, suspensionem Episcopo pro tempore reservatam se noverit incursurum.

7. Ecclesiastici ritus, quibus prima, et secunda Classis, duplex sive maius, sive minus, semiduplex, simplex etc. innituntur, non immutentur ad libitum. Quod igitur in generalibus Rubricis ad rem facit, perlegant Sacerdotes, et sub eadem poena retineant. Confirmamus propterea Decretum a Nobis datum de die 3. Mensis Augusti praeteriti Anni 1838. quo despectam hanc liturgiae partem honori redonandam nitebamur.

---

(1) De Conservat. Dist. 1.

(2) Ex. Cap. 28. v. 2. et sequenti.

8. Ad abusus praecavendos, qui invehi fortasse possunt in exigendis Missae stipendiis, sub poena Suspensionis interdicimus Sacerdotibus, ne de iis, veluti de rerum vilissimarum pretio paciscantur (1). *Sacerdos*, ait S. Thomas (2) *non accipit pecuniam quasi pretium consacrationis Eucharistiae aut Missae decantandae.* Quod aliter se haberet ubi foedissimum avaritiae vitium per criminosam mercedis conventionem irreperet. Item Sacerdotes celebrantes eorum, qui eleemosynam praestiterunt, intentioni ex omni parte satisfaciant. Ne sibi stipendium duplicatum usurpent, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti respondentem, quod a Summis Pontificibus damnatum fuit (3). Ne alio loco celebrent alioque Altari ab eo, propter quod spoponderunt. Ne offerant intempestive Sacrificium pro iis, qui postea stipendium oblaturi sunt (4). Denique plura ne accipiant stipendia pro Missis, quas praevident se celebrare non posse nisi post tempus diuturnum; quum, stante quidem iusta causa, celebratio Missae, ob quam Sacerdoti stipendium erogatum est, ultra mensem differri non possit (5).

9. Ut ii, quorum bono ratione beneficii, fundationis, aliove huiusmodi titulo anniversariae Missae solvendae sunt, suffragiis debito tempore non careant, in qualibet Nostrae Dioecesis Ecclesia perpetuo prostet Tabella Missarum ce-

(1) Conc. Laod. Can. 8. et Carthag. 2. Can. 9.
(2) 2. 2.ae q. c. art. 2.
(3) Alex. VII. an. 1665.
(4) Urban. VIII. Decret. an. 1625.
(5) Ita Benedict. XIV. et Decret. S. Congr. Conc. 17. Iul. 1665.

lebrandarum, in qua Missarum qualitas, applicatio dies, mensis et annus. Altare ipsum, aliaque id genus onera exprimantur. Tabella vero a Nobis vel Nostro Vicario Generali subscribatur, eiusque exemplar in Reverendissimae Nostrae Curiae Tabulario reponatur; et ubi desit, conficiatur intra mensem. Pari modo singuli Presbyteri manuale album Missarum efforment, ne quam earum cum detrimento proximi obliti celebrare praetereant.

10. Nulli alieno Presbytero, praesertim ignoto, Missam dicere fas sit (1), nisi in Civitate de nostra vel Nostri Vicarii Generalis licentia, in reliquis vero Dioecesis Nostrae locis de permissione Vicariorum Foraneorum ibi manentium, qui tamen dimissorias Ordinarii eius legitime recognoverint.

11. In Ecclesiis Monialium illi tantum sacra faciant, qui expressa a Nobis auctoritate firmati fuerint. Reliquis id attractare vetitum.

12. Denique ut Tridentini voces assumamus (2), cum multa iam sive temporum vitio, sive hominum incuria et improbitate irrepsisse videantur, quae a tanti Sacrificii dignitate aliena sunt, ea omnia prohibentes atque e medio tollere curantes, Parochorum oneramus conscientiam, ut eorum ope populus Christianus ea, qua nulla gravior, reverentia et religione incruento huic altaris Sacrificio praesens sit, atque *ad Domini Sanctuarium paveat* (3). Mulieribus non sit caput nudum, aut faemineo galero oper-

(1) Can. 3. Apost. Et Syn. Nicaen. Cap. 18.
(2) De Observand. et vitand. in celebr. Miss.
(3) Levit. Cap. 26. v. 2.

tum in Ecclesiam convenientibus, sed velatum *propter Angelos*, nimirum propter Sacerdotes (1). Viris autem detectum. Non collocutio, non extranei sermones, non contentiones, non strepitus, non visus: *Stat Sacerdos orationem offerens cunctorum, tu autem rides?* aiebat Hieronimus (2). Sit mens ad Dominum elevata, ne Christi, tabernaculum in latronum speluncam convertatur (3). Scriptum est enim: *Quia domus Dei, domus orationis vocabitur* (4).

CAPUT III.

De Fidei Veritatibus evangelizandis.

1. Quam necessaria semper fuerit in Dei Ecclesia praedicatio, cernere est ex compertissima Pauli sententia: *quomodo audient sine praedicante?* (5) Non enim fieri potest, ut quis in ipsius verae Ecclesiae gremio editus in lucem, ea calleat, quae sunt fidei patrimonium, nisi eadem per Dei praecones atque internuncios edoceatur. Si quae captui nostro accomodatata sunt, nonnisi paucis perveniunt sua ratione utentibus, et post longum tempus et cum admixtione errorum (6); quid de iis erit, quibus pertingendis humana ratio naturaliter impar est? Oportet ergo ut quae

(1) Epis. 1. Corint. 11. v. 10.
(2) Hom. 15. in Epist. ad Hebr.
(3) Ter. Cap. 7. v. 11.
(4) Marc. Cap. 11. v. 17.
(5) Rom. Cap. 10. v. 14.
(6) S. Thom. 1. P. Q. 1.

semel Deus humano generi revelavit ad infirmitatem eius misericorditer sublevandam, per Ministros divinitus designatos ubique Terrarum e suggesta proclamantur. Id fuit in causa, cur Deus in veteri Testamento mandaverat, ut nati natorum et qui nascerentur ab illis narrarent filiis suis praecepta et portenta Domini, ut in ipso fiduciam collocarent (1). Hoc ipsum novissime per Filium suum fecit, qui cum esset *vir propheta* (2), *Apostolus confessionis nostrae* (3), *Pastor et Episcopus animarum nostrarum* (4), alios tamen dedit Apostolos, alios Pastores, alios Doctores, qui vitae verbum nobis annunciarent, *ut firmo fidei fundamento adherentes in Dei habitaculum coaedificaremur* (5). Certe Christus, dum suam Apostolis committeret provinciam, ait: Praedicate Evangelium omni Creaturae (6). Et alibi: *Quae in aure auditis, praedicate super tecta* (7).

2. Tam seges quidem multa est, in quam operarii Evangelici sna studia conferant. *Nam licet in hoc statuerit Jesus vitam aeternam, ut solus verus Deus et Jesus Christus a Deo missus cognoscatur* (8); *tamen hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata eius*

---

(1) Psal. 77. v. 6. e 7.
(2) Luc. Cap. ult.
(3) Hebr. Cap. 3. v. 1.
(4) 1. Petri Cap. 2. v. 25.
(5) Eph. Cap. 4. v. 12.
(6) Marc. Cap. 16. v. 15.
(7) Matth. Cap. 10. v. 27.
(8) Joan. Cap. 17. v. 3.

observemus (1). Quam plurima interim mandata erga Deum, erga nos ipsos, erga proximum? De his igitur officiis Parochi, caeterique Ecclesiastici Praedicatores, ii signanter, qui Quadragesimali tempore concionantur vel Spiritualia Exercitia dant populo, de his, inquam, officiis animos fidelium informent, ut omnibus debita reddant, *cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem* (2). Probent quanta fide, quantaque humilitate cum Visibili Ecclesiae Capite Romano Pontifice coniungi debeamus; *qui enim cum ipso non colligit, spargit* (3). Potestati etiam politicae quomodo sit parendum explanent: *Non est enim potestas nisi a Deo* (4). *Nec tantum propter iram, sed et propter conscientiam* oportet esse Principi addictum. Serenissimum Regem nostrum *FERDINANDUM II.* cuius nomen clementia est, non ut Principem suspiciendum, sed ut suae gentis patrem adorandum exponant. Quapropter et pro ipso, et pro universa *Regali Familia*, quos Deus per saecula servet, non intermissas preces ad Deum a singulis ferendas eodem animo cathechizent, quo Paulus Timotheum alloquebatur: *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro Regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus* (5).

---

(1) Joan. Cap. 2. v. 3.
(2) Epist. ad Roman. Cap. 13. v. 7.
(3) Hieronym. Epist. ad Damasum Cap. 57.
(4) Epist. ad Roman. Cap. 13. v. 1.
(5) Epist. 1. ad Timoth. Cap. 2. v. 1. et 2.

3. Ex quibus fontibus sanam doctrinam copiosissime attingant, qui super cathedram sedent, ex Apostoli intelligant admonitione, *quam ad eumdem Timotheum scriptam omnes, quicumque animarum curae praepositi sunt, ad se pertinere existimabunt* (1). Est autem haec: *Attende lectioni, exhortationi, et doctrinae* (2). *Est enim omnis Scriptura divinitus inspirata utilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus* (3). Quae Apostolica Verba non excludunt traditionem oretenus acceptam, quam ipse ad eumdem Timotheum vocat *depositum fideliter custodiendum* (4), *et cui standum* Thessalonicensibus praescribit (5). Nimirum Apostoli non omnia Religionis mysteria passim scripto tradiderunt, ne aut ab ethnicis sacra nostra irriderentur, aut vulgo etiam fidelium venirent in contemptum (6). Ea igitur tantum, quae vel in sacris membranis vel in Sanctorum Patrum Traditione fundamentum habent, quae ambo ipsum Dei Verbum sunt, a Praedicatoribus Christiano populo explicanda suscipiantur.

4. Audientium autem aetatem, mores, ingenium, conditionem exotericis suis concionibus observent Sacerdotes, ut Christo animas lucrifaciant. *Sicut enim modo geniti*

---

(1) Cathechis. Roman. Praefat. §. 13.
(2) Epist. 1. ad Timoth. Cap. 4. v. 13.
(3) Epist. 2. ad Timoth. Cap. 3. v. 16. et 17.
(4) Epist. 1. ad Eumdem Timoth. Cap. v.
(5) Epist. 2. ad Thessalon. Cap. 2. v. 15.
(6) V. Melchior. Can. De Loc. Theolog.

infantes rationabile lac concupiscunt (1), sic et aetate firmatis solidiore cibo opus est. In omnibus pure, clare, sincere loquentes non *indicent se scire aliquid, nisi Jesum Christum et hunc Crucifixum* (2). Lucra Saeculi non sectentur, et quod lingua damnant, opere non prodant. Sic ipsi erunt novi illi Evangelicae Legis Pastores, de quibus Deus: *Dabo vobis Pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina* (3).

5. Nullus, ut a CLEMENTE V. Pontifice maximo in Concilio Viennensi sancitum est, concionem habeat qua hora Episcopus in eadem Urbe vel Oppido concionatur, nisi aliter ille concesserit.

6. Tandem nemo sibi assumat ministerium hoc, nisi debitam missionem acceperit; ne ei illud applicetur: *Non mittebam prophetas, et ipsi currebant* (4). Quare nullus in quavis Nostrae Dioecesis Ecclesia praedicabit, nisi post Nostram vel Nostri Vicarii Generalis facultatem. Quod si fuerit Regularis, nonnisi de sui Superioris licentia Nostra ei venia impertietur.

(1) Epist. 1. Petri Cap. 2. v. 2.
(2) Epist. 1. ad Corint. Cap. 2. v. 2.
(3) Jerem. Cap. 3. v. 15.
(4) Jerem. Cap. 23. v. 22.

CAPUT IV.

De parvulis in Fide instituendis.

1. Duo, ex Divo Thoma, ad fidem concurrunt (1); nempe cordis inclinatio ad credendum, *quod pro Christo nobis donatum est* (2); et explicita rerum credendarum notio, quae per vocem extrinsecus nostras aures insonantem praesto est. Sic Cornelio Centurioni per gratiam ad fidem vocato iussum fuit, ut ad Petrum veniret, a quo in fidei rebus erudiretur: Mitte, ei Angelus ait, *viros in Joppen, et accerse Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus* (3). A teneris porro unguiculis oportet, ut parvuli, quae Religionis sunt, cum lacte hauriant, ut quemadmodum ab uberibus pravae naturae fomes ad peccatum inclinat, ita per Christianae fidei documenta intra officiorum cancellos ex ea aetate cohibeantur. Ex quo illud: *Curva cervicem eius in iuventute, et tunde latera eius, dum infans est* (4). Decet autem, ut haec tam difficilis tantique momenti instructio non e rostris sed cominus fiat; sicut de filia Helciae (5) et de puerulo Tobia (6) a parentibus factum divinae Litterae testantur. Qui primi igitur ad hoc munus adstriguntur, sunt parentes, qui cum membra Chri-

(1) Divus Thom. Homil. in Epist. ad Roman.
(2) Epist. ad Philippens. Cap. 1. v. 29.
(3) Actor. Cap. 10. v. 5.
(4) Eccli. Cap. 30. v. 12.
(5) Daniel. Cap. 13. v. 3.
(6) Tob. Capit. 1. v. 10.

sti sint, et alia membra Christo Capiti adnectere debent, filios nempe e latere suo surgentes. Videtur enim Deus post baptismum ab infante susceptum, patri matrique eius cum filia Pharaonis loqui: *Accipe puerum istum*, *et nutri mihi* (1).

2. Quatuor autem sunt specialia Christianorum dogmatum capita, respondentia, ut Mystici volunt, quatuor fluvii capitibus, qui de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum egrediebatur (2). Primum Symboli Apostolici articulos; alterum Dei et Ecclesiae praecepta; tertium Orationem Dominicalem; postremum denique septem Sacramenta complectitur. Et quidem in Apostolorum symbolo habentur quae credenda sunt; in Decalogi Ecclesiaeque mandatis quae facienda sunt; in Oratione a Jesu Christo instituta quae petenda sunt; atque in usu Sacramentorum ea, quae adhibenda sunt, *ut omnis vera iustitia vel coepta augeatur*, *vel amissa reparetur* (3). At quoniam quaedam sunt necessaria necessitate medii ad salutem, quaedam non ita; hinc sequitur, ut in erudiendis pueris ea vigere debeat methodus, qua postquam magis necessaria noverint, ad alia gradatim progrediantur.

3. Parochi, qui sunt in Domino parentes puerorum, quos Christo per baptismum regeneraverunt, satagant cum suis coadiutoribus omnes pueros et puellas in Ecclesia Parochiali vel alia coadunare, ut eos christiana doctrina inficere possint. Quare quolibet die Dominico tempore post-

(1) Exod. Capit. 2. v. 9.
(2) Genes. Capit. 2. v. 10.
(3) Trid. Sess. 6. in Decret. de Sacrament.

meridiano id faciant, postquam de solito Campanae signo urbis plateas praeunte Cruce, circumierit. Quo in opere et simplices Sacerdotes manum suam porrigant, nec non omnes minores Clerici extra Seminarium commorantes, quibus pro maiori vel minori cura Ecclesiastica Beneficia a nobis conferentur; qui solliciti erimus ne caeterorum segnitiem impunem dimittamus (1).

4. In Congregationibus, quas vocant Spiritus, Cappellani et Confessarii Christianae doctrinae exercitium suppeditent, et ante Missam consuetos Fidei, Spei, et Charitatis actus cum adstantibus recitent. *Quod si in verbo et doctrina laboraverint, duplici honore digni habebuntur* (2).

5. Ut in edocendo unitas servetur, volumus, ut in tradendis Fidei rudimentis omnes et singuli de Nostra Dioecesi eo utantur Compendio, quod a Nobis in puerorum adiumentum iam a primis Nostri Episcopatus diebus in ordinem redactum est (3).

6. Confirmantes et nova sanctione donantes Sanctae Nostrae Visitationis Decreta; praescribimus Thesaurario Nostrae Cathedralis Curato, aliisque Archipresbyteris Curatis et Parochis Nostrae Dioeceseos, ut priusquam Sponsis in Nuptiarum sollemnitate benedicant, ab eis fidei rationem exquirant: quos si inhabiles deprehenderint, matrimonii celebrationem suspendant, donec illi opportune instruantur (4)

(1) V. la Ministeriale de' 20 Ottobre 1830.

(2) Epist. 1. ad Timoth. Cap. 6. V. 17.

(3) Compendio della Dottrina Cristiana per uso della Diocesi di Castellaneta.

(4) Decretum Sanctae Visitat. Art. 26. die 28. Februarii 1829.

CAPUT V.

De singularibus Fidei Operibus

1. *Fides sine operibus mortua est* (1). *Genus autem Doemoniorum non eiicitur nisi per orationem et ieiunium* (2). Intelligant ergo Fideles, quanti eorum intersit habere fidem, sed *quae per charitatem operatur* (3). Praecipua Fidei opera haec sunt: ieiunium, eleemosyna, oratio. Atque haec maximopere commendantur ab Ecclesia, quae veluti pia Mater, latiorem praemonstrat viam, quam prement Fideles Coelestem Sion ingressuri.

2. Praeter ea ieiunia, quae sibi quisque tenetur imponere, cum *tota christiana vita perpetua poenitentia esse debeat* (4), sunt certa tempora ab Ecclesiastica Lege statuta, quibus ab omnibus ieiunandum est. Singulis quadragesimae diebus, quatuor anni temporum spatio, et quibusdam vigiliis conceditur abstinentiae. Vetustissimi moris est atque adeo ab Apostolica traditione repetenda Quadragesimalis ieiunii institutio: cuius rei auctores sunt Hieronymus (5), Origines (6), Basilius (7), Epiphanius (8), aliique plurimi Patres. Apostoli vero id fecisse censentur,

---

(1) Jacob. Capit. 2. v. 26.
(2) Matth. Cap. 16. v. 20.
(3) Galat. Capit. 5. v. 6.
(4) Trident. Sess. 14. Art. de Extrem. Unction.
(5) Epist. ad Marcel.
(6) Homil in Levit.
(7) Hom. 1. Cap. 2. de ieiun.
(8) Exposit. Fid. Cathol.

ut adimpleretur quod per Sapientissimum Magistrum de discipulis praedictum fuerat: *Venient dies, cum auferetur ab eis Sponsus, et tunc ieiunabunt* (1). Quatuor anni Temporum ieiunia id sibi volunt, tum ut Deum bonorum omnium, terraeque fructuum datorem debitis officiis prosequamur, tum ut *Dominum messis rogemus, ut mittat operarios in messem suam* (2). Jeiunia, quae Sanctorum festivitatem anteveniunt, dicta fuerunt Vigiliae. Primaeva enim aetate Christiani totam noctem festa principaliora praecedentem in psalmis atque hymnis Deo concinendis traducebant insomnem, Redemptorem imitati, *qui pernoctans erat in Oratione Dei* (3). Res porro tam Sacras abutentibus id posterioribus saeculis severissime vetitum, tantumque impositum, ut ieiuniorum observantia sese ad festa disponerent.

Quam grave sit ieiunium violare, non solum ex veteribus Canonibus liquet, qui durissimis poenis ieiunii transgressores plectebant, sed et Summorum Pontificum decisionibus, qui lethale peccatum esse dixerunt inexcusabilem ieiunii fractionem (4). Omnibus vero ieiunii observatio ex mente Ecclesiae indicta est. Nec quis semet excludat a numero ieiunantium, *in quo omne genus hominum, omnis aetas, omnes dignitatum ordines recensentur* (5). Qui inevita-

(1) Matth. Capit. 9. v. 15.

(2) Luc. Cap. 10. v. 2.

(3) Luc. Cap. 6. v.

(4) Benedict. XIV. Constit. Non ambigimus, et Alex. VII. prop. 29. damnat.

(5) Basil. hom. 2. de ieiunio.

bili necessitate, atque fragilitate, vel etiam impossibilitate aetatis onus ferre non possunt, utique dispensentur, sed postquam veniam a Sacerdote obtinuerint (1).

Parochi, dum in suis homiliis obligationem ieiunii mox inchoandi annuntiant Christianis, eos admoneant, *ieiunium grande et generale esse abstinere ab iniquitatibus et illicitis voluptatibus saeculi* (2). Quod Deus per Isaiam aperuerat: *Nolite ieiunare, sicut usque ad hunc diem, ut audiatur in excelso clamor vester-Nonne hoc est magis ieiuniun quod elegi? Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes* (3). Qua de re carnem ieiuniis macerantes omne genus virtutum coniungant; si dies esuriales cum fructu vixisse voluerint.

3. Eleemosynam, alterum pietatis opus, et ipsam sub praeceptum cadere putandum est. Lustrentur Scripturarum paginae: *Praecipio tibi, ut aperias manum tuam fratri egeno, et pauperi* (4). *Quod superest, date eleemosynam* (5). *Praecipe divitibus huius saeculi...... Facile tribuere* (6). Nisi ergo fidei valedixerint, inflammentur erga egenos, qui divites sunt, ut *frangant panem esurienti*. Quod si in hoc saeculo nemo est, qui eos redarguat quod viduis, pupillis, aliisque indigentibus aures misericordiae occluserint, superveniet poenitentiae tem-

(1) Concil. Tolet. VIII. Can. 9.
(2) Aug. Tract. 17. in Joann.
(3) Isai. Cap. 58. v. 4. et seq.
(4) Deuter. Cap. 15. v. 11.
(5) Luc. Cap. 11. v. 44.
(6) Timoth. Cap. 6. v. 17.

pus, quod *sibi minus thesaurizaverint fundamentum bonum in futurum* (1). Neque aliam ob rationem Deum discriminatas hominum conditiones et gradus disposuisse recogitent, quam ut mutua virtus suorum filiorum aleretur et cresceret. *Dives et pauper obviaverunt sibi*: *utriusque enim operator est Dominus* (2).

4. Denique cum ex fide summam discamus nostrarum virium impotentiam, *qua non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis* (3), necnon superabundantem Dei misericordiam, quo omnia pro Christo Nobis communicata sunt, necessariam prorsus esse Orationem convincimur. Per eam *sacrificium laudis Deo immolamus*, *et vota nostra Altissimo reddimus* (4). Nec aliam nobis videmus esse ad gratiam portam, quam orationis. *Petite et dabitur vobis*, *quaerite et invenietis*, *pulsate et aperietur vobis* (5).

Sed, ut oratio, qua adeo indigemus, sua efficacia non careat, per singula diei momenta, docente Chrysostomo (6) continuanda est. *Vespere*, *quotidie et mane narrabo et annuntiabo tibi*, inquiebat Psalmista: qui quandoque ut idem praestaret, somnos e noctis silentio intermittebat: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi* (7). Si qui

---

(1) Epist. 1. ad Timoth. Cap. 6. v. 19.
(2) Prov. Cap, 22. v. 2.
(3) Epist. 2. ad Corinth. Cap. 3. v. 5.
(4) Psalm. 49. v. 14.
(5) Luc. Cap. 11. v. 9.
(6) Lib. De orando Deum
(7) Psalm. 118. v. 62.

igitur post primam et alteram vicem exauditi non fuerint, ne ab oratione desistant. *Cum Deus aliquando tardius dat, commendat dona, non negat* (1). Petendum porro in nomine Salvatoris. Ipsis quidem Apostolis plura concessa non sunt, quia in Jesu nomine postulata non fuerunt. *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo?* increpabat eos Christus (2). Declarat interea Augustinus, *in nomine Salvatoris non peti quidquid petitur contra rationem salutis* (3). Quapropter id unum efflagitare debemus quod olim a Rege David: *unam petii.... ut inhabitem in Domo Domini* (4), nullatenus addubitantes, *quod caetera omnia nobis adiicientur* (5).

CAPUT VI.

De fidei fructibus nempe de Indulgentiis.

1. *Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiae concessa sit, utque huiusmodi potestate divinitus sibi tradita antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, Sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, et Sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet et praecipit, eosque anathemate*

---

(1) August. de Verb. Domini Serm. 51.
(2) Joan. Cap. 16. v. 24.
(3) Tract. 102. in Joann.
(4) Psal. 26. v. 4.
(5) Matth. Cap. 6. v. 33.

damnat, qui aut inutiles esse asserunt vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. Ita Tridentinum (1). Eius igitur auctoritati insistentes Montanistas, Valdenses, Ussitas, atque Novatores confodimus, qui contra Ecclesiae iura atque adeo adversus ligandi solvendique potestatem directe bellati sunt. Non ita tamen laudata Tridentini verba sumantur, quasi peccata ipsa Indulgentiae remittant, quum hae poenas tantum temporaneas condonent, in quas aeternae vi Sacramenti commutantur. Scilicet in veteri disciplina, ut aliqua inter culpam atque operas satisfactorias proportio foret, Canones poenitentiales conditi fuerunt, qui vel dierum, vel mensium, vel annorum poena peccatores mulctabant (2). Ut autem rigor Ecclesiasticus attemperaretur, pars aliqua poenae ex indulgentia relaxabatur, ubi vel doloris abundantia (3) vel Martyrum libelli, vel imminens in Christianos persecutio, vel reditus haereticorum in Ecclesiam legitimam causam offerrent. Et non immerito post decimum saeculum aliae ad rem receptae sunt causae, veluti Ecclesiarum visitationes, militia contra infideles, pecuniariae erogationes etc.

2. Inexhaustus est indulgentiarum thesaurus, quae Christi meritis, Beatae Mariae Virginis, aliorumque Sanctorum, veluti tot bonorum Spiritualium cumulo inaedificantur (4). Atque ex eo Pastores, quibus datum est regere Ecclesiam Dei, elargiuntur fidelibus, ita ut Supremus

(1) Sess. 25. Decret. de Indulgent.

(2) Concil. Ancyran. Can. 5.

(3) Concil. Nicoen. Can. 12.

(4) Extravag. 2. poenit. et remiss. inter communes.

omnium Pontifex plenariam, Episcopi in suae Dioecesis finibus partialem impertiantur vel directe vivis, vel in modum suffragii animabus in Purgatorio existentibus applicandam (1).

3. Parochi catholicam hanc doctrinam Christianorum animis propinantes, Ecclesiam dicant hodiedum indulgentiae munera dispensare eadem, qua olim, mentis intentione. Nam in Jubilaeo commendat opera ad satisfaciendum idonea, in reliquis iubet, ut praestitis e praescripto operibus, poenitentiae Sacramentum adeatur. Conditiones inde enumerent, sine quibus indulgentias nemo lucrari praesumat. Nam 1. sola viva Ecclesiae membra, nempe in gratia Dei permanentia, indulgentiis participant. *Deus enim loquetur pacem super sanctos suos, et in eos, qui convertuntur ad cor* (2). 2. Fas est, ut opere iniuncta persolvant ea forma et modo, quibus in promulgandis indulgentiis Pontifex vel Episcopi utuntur. Non enim pigri et segnes, sed in Dei operibus solliciti digni sunt, quibus de thesauro Ecclesiastico tribuatur.

Ut omnes Christi Fideles (quod in Domino optamus) sese non privent copiosissimis eis indulgentiis, quas Romani Pontifices concedere solent per Bullae Cruciatae Indultum, precamur ut omnes illud recipiant; cuius valore non modo beneficiis innumeris et privilegiis in eodem Indulto expressis sese ditari intelligant, ob Jesu Christi merita sese spirituales fructus obtinere, quibus aeterna vita facilius atque ocyus acquiritur. Loquantur ergo Parochi de

(1) Leo X. in costit. Exurge Domine.

(2) Psa'm. 84. v. 9.

mirabilibus Bullae Cruciatae effectibus, quae est *verus thesaurus in agro absconditus*, ut si qui inimicus animae suae ab ea sibi comparanda adhuc abstinuerit, *vadat, vendat universa, quae habet, et emat agrum illum* (1).

4. Ut omnes abusus in publicatione Indulgentiarum eliminemus, volumus, ut nemo quocumque praetextu in nostra Dioecesi Indulgentias publicare audeat, nisi litteras Nobis vel nostro Vicario Generali ostendat, quibus ei fides adhibeatur. Quod si cuique turpis quaestus relinquatur aditus, finis Ecclesiae omnino frustrabitur, quae in aperienda pretiosissima indulgentiarum arca illud studet, *ut Fidelium augeatur devotio, fides splendeat, spes vigeat, et charitas vehementius incalescat* (2).

---

(1) Matth. Cap. 13. v. 44.
(2) Clemens VI. in Extravag. Unigenitus.

PARS SECUNDA

DE SACRAMENTIS.

CAPUT I.

1. *In nullum nomen Religionis sive verum sive falsum colligari homines possunt, nisi aliquo signorum vel Sacramentorum visibilium foedere coniugantur* (1). Hinc e re fuit, ut in nova lege Sacramenta instituerentur, quibus et a falsis aliis religionibus se distinguerent Catholici, et mutuo inter se se foedere haererent. Optime autem factum, ut materiales res Spiritualia bona in Christi Ecclesia figurarent, quippe in qua homines corporeis integumentis involuti opus omnino habent, ut rerum, quae sentiuntur, adminiculo ad ea intelligenda utantur (2).

2. Jam vero Christi Ecclesia, quae est *nova Jerusalem, Civitas Sancta* (3), hominibus constans viatoribus, tot indigebat Sacramentis, *quot homini ad vivendum, vitamque conservandam, et ex sua reique publicae utilitate traducendam necessaria esse videntur* (4). Hinc septem esse novae Legis Sacramenta, manifestum per se est. *Per Baptismum enim spiritualiter renascimur,*

---

(1) August. Libr. 19. cont, Faust.
(2) Chrysost. hom. 83. in Matth.
(3) Apoc. Cap. 21. v. 2.
(4) Cateth. Roman. Part. 2. de Sacrament.

per Confirmationem augemur in gratia et roboramur in fide, renati autem et roborati nutrimur Divinae Eucharistiae alimonia: Quod si per peccatum aegritudinem incurrimus animae, per poenitentiam spiritualiter sanamur: spiritualiter etiam et corporaliter, prout animae expedit, per Extremam Unctionem: per Ordinem vero Ecclesia gubernatur et multiplicatur spiritualiter: per matrimonium corporaliter augetur (1). Hunc Sacramentorum numerum, de quo ipse Melanchton se non renuturum cum quoquam professus est, eadem ratione egregie pro more suo exponit Angelicus (2), et Sacrosancta Tridentina Synodus apposito contra Novatores Canone expresse recenset et determinat (3).

3. Haec porro Sacramenta (quae nullam suscipientibus conferre gratiam Sociniani et Protestantes dogmatizarunt, quasi vel ritus quidam solummodo essent, quibus Fideles discernuntur ab infidelibus, vel signa tantum externa acceptae per fidem gratiae aut iustitiae) gratiam ex opere operato nobis conferre cum universa Ecclesia Catholica credimus et confitemur. Gratiam enim continent ipsa simul et conferunt, non quidem per pia opera sive ministrantium sive suscipientium, sed per ipsas res sensibiles virtute a Deo per Christi merita eis adnexa. ***Unde ex Christi latere manasse Sacramenta***, Augustinus passim docuit (4),

---

(1) Concil. Florent.

(2) Sum. Part. 3. 9. 65. art. 1. in corpore.

(3) Sess. 7. Can. 1.

(4) Tract. 120. in Joan. et alibi.

eumdemque *Christum omnium Sacramentorum auctorem esse* scriptis mandavit Ambrosius (1).

4. Tribus perfici Sacramenta compertum est, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona Ministri cum intentione faciendi quod facit Ecclesia (2). Ne velint ergo quomodocumque Ecclesiastici Ministri in Sacramentis conficiendis materiam vel formam variare, Sacramenta ipsa periculo nullitatis sacrilege exponentes. Et si quando materia Sacramentorum dubia sit, sciant eam tenere se posse in uno extremae necessitatis casu, dum Sacramenta necessaria necessitate medii Fidelibus dispensant. Apponant autem intentionem faciendi quod facit Ecclesia (3) saltem virtualem, si actualis desit (4); eamque ad materiam adhibendam determinatam (5). Omnes autem caeremonias, vestes, aliaque externa pietatis signa ab Ecclesia praescripta, quorum usus penes ipsam vetustissimus, (6) sine peccato non omittent, eoque plus minusve gravi, prout animi contemptus vel proximi scandalum accedat (7).

5. Etsi ut Sacramentum valeat, non requiratur Ministri Sanctitas (8), adeo ut Augustinus dixerit: *Quid tibi facit malus Minister, ubi bonus est Dominus?* (9),

(1) Lib. 4. de Sacram.
(2) Eugen. 4. in Decret.
(3) Trident. Sess. 7. de Sacramentis in gen. Can. 11.
(4) S. Thom. 3. part. Q. 64. art. 3.
(5) Rubric. Missal. §. 7. de Defectib.
(6) Bellarm. Lib. 2. de Sacram. Cap. 29. et seq.
(7) Trid. Sess. 7. Can. 18.
(8) V. Cap. 2. hujus Synod. de Missae Sacrif. Part. 1.
(9) Augustin. Tractat. 5. in Joannem.

Ministri tamen caveant, ne culpis gravibus obstricti ad tractanda Sacramenta sceleratas manus extendant. Ex quibus Rituale Romanum: *Sacerdos si sit sibi mortalis conscius, quod absit, ad Sacramentorum administrationem non audeat accedere, quia scilicet impure et indigne ea ministrantes, in aeternae mortis reatum incurrunt.*

6. Nullo in loco, praeterquam in Ecclesia (si Extremam unctionem et Viaticum excipias) Sacramenta administrari liceat, nisi aliud per necessitatem expediat. In reliquis nostra vel Nostri Vicarii Generalis licentia provocetur. Caeterum Parochi iugiter praesto sint, et Sacramentis praebenlis lubentissimi accurrant.

7. Cum Sacramenta sanctificationem hominum pariant, non abscondant fidelibus Parochi, quam eis necesse sit Sacramentis communicare. Sacramentorum expers Paradisi haeres esse non potest. Sive autem Sacramentis vivorum, sive mortuorum homines adulti participent, ut id licite faciant, Fidem, Spem, Charitatem sibi esse necessaria meminerint (1). De uniuscuiusque Sacramenti virtute, utilitate, dignitate continuos audiant Sermones, ut si (quod numquam Deus sinat) a Sacramentorum via elongentur inconsulti, *non declinent in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis* (2).

(1) Trident. sess. 6. capit. 6.
(2) Psalm. 140. v. 4.

CAPUT II.

De Baptismo.

1. Dominus noster Jesus Christus, *aeterna redemptione inventa* (1) antequam in *altum ascenderet dona relinquens hominibus* (2): *Euntes*, praecepit Apostolis, *docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* (3). Quod ante suam passionem ipsemet adumbraverat: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei* (4). Quae verba semper eo sensu accepit Ecclesia, ut nulla praeter Baptismum Christi ex nostro arbitrio salus aeterna cuiquam promitteretur (5): sique ullus secus sentiret, contra Scripturam humanis omnibus ingeniis praeferendam, anathema foret (6). Baptismus ergo est, *unde incipit omnis fidei origo*, *et ad spem vitae aeternae salutaris ingressio* (7), *ipse unda genitalis* (8), ipse *lavacrum re-*

---

(1) Hebr. Cap. 9. v. 12.
(2) Act. Cap. 2.
(3) Matth. Cap. 28. v. 19.
(4) Joan. Cap. 3. v. 3.
(5) Aug. Lib. 1. de Peccat. merc. C. 23.
(6) Concil, Carthag. IV. in Epist. Synod. ad Innoc. I., et Trid. Sess. 7. Can. 5.
(7) Cyprian. Epist ad Jubaian.
(8) Tertullian. Lib. de Baptis.

generationis et renovationis (1), ipse *fidei Sacramentum* (2).

2. Quandoquidem Petrus cum in totam Cornelii familiam Spiritus Sancti dona vidisset offusa: *Numquid, ait, aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut et nos?* (3), non minus Parochi solertes sint, ut *parvuli quorum est regnum Coelorum* (4), suscipientes in fide Ecclesiae Baptismum quamprimum inter fideles computentur (5). Quin, si imminentis mortis timor causa sit Parochis, ut ante praescriptos Juris Actus infantem baptizent, id utique faciant, ne aeterna illius salus periclitetur (6). Indigna ergo prorsus est Christiano homine, et adeo per canonicas poenas coercenda peccaminosa consuetudo, qua nonnisi post multos a nativitate dies infans ad fontem Sacrum feratur: adeoque praesenti hac Synodo ne unquam ultra triduum differant filiorum baptismum, parentes obsecramus, itemque animarum Pastores, ne id fieri patiantur (7).

3. Licet primis Ecclesiae saeculis ubique baptismus ministratus sit, ita ut Eunuchum Philippus in via (8) baptizaverit, aliosque baptizatos in Tiberi Tertullianus do-

(1) Tit. Cap. 3. v. 5.
(2) Trident. Sess. 6. Cap. 7.
(3) Act. Cap. 10. v. 47.
(4) Matth. Cap. 19. v. 14.
(5) Trid. Sess. 7. de Bapt. Can. 13.
(6) Real Rescritto de' 6. Maggio 1839.
(7) Vedi il Nostro Editto de' 18. Maggio 1820.
(8) Act. Cap. 8. v. 38.

ceat (1); tamen ex recentioris disciplinae legibus nonnisi in Ecclesiis Parochialibus, et quidem aqua solemniter in Paschate aut Pentecoste benedicta baptismi ministratio fieri potest. Quod in Parochorum animum reducimus, ne sine nostra vel Nostri Vicarii Generalis licentia, et sine ulla necessitatis causa quemquam domi baptizent, vel baptizari permittant contra Canonum Sanctiones (2), et Ritualis Romani regulas

4. Ordinarios Baptismi sollemnis ministros Episcopum, et Praesbyteros esse praxis universae Ecclesiae tenuit. Diaconis, quos sollemnis baptismi veluti extraordinarios ministros decrevit antiquitas, absque Episcopi vel Parochi delegatione sollemniter baptizandi numquam ius fuit (3). Cum tamen Sacramentum hoc maxime prae aliis necessitatis sit, ubi res urgeat, non solum Sacerdos vel Diaconus, sed etiam laicus vel mulier, immo etiam paganus et haereticus baptizare potest, dummodo *formam servet Ecclesiae, et facere intendat quod facit Ecclesia* (4). Hinc obstretrices baptizandi formam ediscant, memoriaque teneant, ut et ipsae baptizandis pueris idoneae habeantur, si in extrema necessitate nulla Sacerdotum, aliorumque Clericorum copia suppetat (5). In hoc tamen casu baptizatus ab obstetrice infans si convaluerit, in Ecclesiam Parochialem adducatur,

(1) Libr. de Baptis.
(2) Clement. Unic. Lib. 3. Tit. 15.
(3) Gelas. Ep. ad Episc. Lusit.
(4) Eugen. IV. in Decret.
(5) V. Synod. Benedicti De Bapt. Cap. 15.

ut reliquae Sacrae caerimoniae, quae omissae fuerant, caute suppleantur.

5. Cum per Baptismum signum quoddam spirituale et indelebile animae imprimatur, unde ipse sine sacrilegio iterari non possit (1), non illico et sine ulla inquisitione ad iterandum infanti baptismum Parochi inducantur; sed rem in antecessum diligenter perquirant, ex quo si adhuc relinquitur dubium an Baptismum rite susceperit, certa interposita conditione iterum abluatur. Quod intelligendum praecipue de infante exposito, cui si schedula e collo pendeat, nec tamen aliter de veritate constet, sub conditione baptismus iteretur (2).

6. Cum Patrini praesentia ex antiquissima et fortasse Apostolica traditione proficiscens una ex praecipuis baptismi caeremoniis censeatur (3). Parochorum est Patrinos monere cognationem illam spiritualem, qua cum baptizato eiusque patre et matre devinciuntur; ita ut legitima nuptiarum foedera inter eos iniri non possint, atque inita dirimantur. Quod a Tridentino sic declaratum: *Parochus antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectat, sciscitetur quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant; et eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, et in libro eorum nomina describat, doceatque eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excu-*

---

(1) Trident. Sess. 7. Can. 9.
(2) V. Synod. Benedicti De Bapt. Cap. 6.
(3) Aug. Lib. 1. De Peccat. merit. Cap. 34.

sari valeant (1). Huiusmodi susceptores, *qui pro illis, quos visi sunt de sacro fonte suscipere, fideiussores apud Deum extiterunt* (2), cohortari praeterea debent Parochi ut suis spiritualibus filiis, quae ad vitae Christianae institutionem spectant, commendent, ut *per aquam mundam ab omnibus inquinamentis suis iam mundati* (3), *castitatem custodiant, iustitiam diligant, charitatem teneant* (4).

7. Nemo ex Sacerdotibus aliisve Clericis minoribus sine nostra vel Nostri Vicarii Generalis licentia munere Patrini fungatur.

8. Parochi demum, aliique animarum Curatores librum confectum habeant, in quo baptizati, Parentum, et Compatrum nomina accurate describant, eumque diligenter custodiant. Quod si non fuerit infans ex legitimo matrimonio procreatus, nomen saltem alterius parentis, de quo constat, scribatur, modo nulla infamiae relinquatur occasio; et si puer repertus fuerit, dies reperitionis adnotetur (5). Quod eo signanter tendit, ut si forte matrimonium celebrari occurrat, impedimenta ad contrahendum statim a Parocho comperiantur.

(1) Trident. Sess. 24. Cap. 2. de Reform. matrim.
(2) August. Serm. 163. de tempore.
(3) Ezech. Cap. 36. v. 15.
(4) August. Serm. ut supra.
(5) V. Synod. Benedict. de Sacram. Bapt. Cap. 16. e 17.

CAPUT III.

De Confirmatione.

1. Quae nunc temporis Confirmatio, olim *Sacramentum Chrismatis* (1), *Signaculum donationis Spiritus Sancti* (2), *Manus impositio* (3), *Perfectio* (4) nuncupabatur. Quae nomina inde sunt, quod vel rationem exprimant, qua confertur; vel effectum, quem in Christiano homine producunt. Non autem Confirmatio est otiosa quaedam aut superstitiosa Baptismi caerimonia, ut mendaces haeretici eam traduxerunt (5), neque cathechesis quaedam olim fuit, qua adolescientiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant; quum et Scriptura, et Patrum traditio, atque ultima Oecumenica Tridenti Synodus eam inseruerint catalogo Sacramentorum.

2. Cum inter Catholicae Ecclesiae theologos, omissis de adaequata vel inadaequata Confirmationis materia dissidiis, certum sit in praxi tum impositionem manuum, tum chrismatis in fronte unctionem (quae utraque ab ipsis Apostolis atque veteri Ecclesia adhibita docet Bellarminus) (6) ad viam tutiorem desiderari; videant, quaeso, Parochi, ne quis a Nobis Sacramentum hoc ministrantibus ungatur

---

(1) Aug. lib. 2. cont. litt. Petil.
(2) Concil. Costantinop. 1. Can. 7.
(3) Aug. lib. 3. de Bapt. Cap. 16.
(4) Ambr. Lib. 3. de Sacram. Cap. 2.
(5) Calv. Lib. 4. Instit. Luth. Lib. de Captivit. Babylonica.
(6) Libro 2. de Confirm. Capit. 9.

in fronte, qui tamen praesens non fuerit dum Nos manus imponimus orantes super confirmandos. At si quando id contigisse animadvertant, Nos quanto citius moneant, ut enm sub conditione iterum confirmare satagamus.

3. *Ungi necesse est eum qui baptizatus est* (1). Dubio procul ut in regnum Coelorum ingrediamur, sufficit aqua (2) sed consignationis necessitatem ex illo fluere praecepto sciant fideles, quo sibi omnes adiumenta parare tenentur, quibus fidem intrepide serveut, gratiam angeant, gloriam comparent. Quod si de omnibus id verum est, maxime de iis, qui ad Ordines promovendi sunt. Dedecet enim ut Ecclesiae fiat Minister, qui perfectus Christianus nondum evaserit; adeoque sapienter a Tridentini Patribus iussum, nondum confirmatum prima Tonsura initiari posse neminem (3).

4. *Si duodecimus annus non expectandus videatur, usque ad septimum annum hoc Sacramentum differre maxime convenit*, inquit Cathechismus Romanus (4). Id nempe voluit posterioribus saeculis Ecclesia, ut confirmandi rationis usum adepti considerarent, quomodo sibi pro Christi fide pugnandum esset. Caeterum qui aetate integer Confirmationem contemnat vel negligat, salutem suam in discrimen adducit, gravisque peccati reus fit (5).

---

(1) Cyprian. Epist. 70.
(2) Concil. Illyberit. Can. 77.
(3) Sess. 23. Cap. 4. de Ref.
(4) De Sacrament. Confirmat. Capit. 8.
(5) V. Natal. Alexad. Theol. Dogm. et Moral. Lib. 2. Tract. 3. Cap. 4.

5. Qui porro sint Confirmationis effectus, Parochi erudiant pueros. Per confirmationem accipiunt ipsi gratiam roborantem, quam Apostolorum aevo miraculorum dona sequebantur. ***At haec***, inquit Augustinus, ***signa erant tempori opportuna ad commendationem rudis fidei et Ecclesiae primordia dilatanda*** (1); atque ob id, Ecclesia iam adulta, cessarunt. Praeterea charactere signantur, hoc est nota quadam spirituali indelebili, quae ab iis, qui simplices fideles sunt, Christi milites secernit (2). Quo fit, ut iterum hoc Sacramentum malitiose suscipientes sacrilegi censeantur.

6. Confirmantes quae in Dioecesana Synodo Benedicti iam stabilita fuerunt (3), volumus, ut pie ad tam salubre Sacramentum accedant ieiuni, sua peccata confessi, Sacraeque Eucharistiae Sacramento muniti; neque schedulam a Parocho obtineant, nisi tales deprehensi fuerint, qui fidei Articulos, Orationem Dominicalem, atque Angelicam Salutationem saltem recitare calleant.

7. Et quoniam ex nova Disciplina Sponsores Episcopo offerunt confirmandos, ex ipsa Ecclesiastica consuetudine mandamus, ne mas a faemina, nec contra faemina a mare teneatur. Sponsores autem debent esse Christiani probi, et ipsi confirmati: qui enim alium regere poterit qui ipse fortis non est? Ne tamen admittatur ad Patrini seu Sponsoris munus, qui confirmandum e Baptismi fonte susceperit, quive eius pater vel coniux sit. Prae oculis au-

(1) De Bapt. Lib. 3. cap. 6.
(2) Trid. Sess. 7. can. 9.
(3) De Sacram. Confirm. cap. 3.

tem habeant Patrini Cognationem Spiritualem, quam contrahunt, quae, ut de Baptismo diximus (1) inter certos gradus nuptias vel contractas dissolvit (2).

8. Nulli (sunt verba Benedicti (3)) liceat ex confirmatis aut Patrinis ab Ecclesia prius discedere, quam Episcopus benedictionem praesentibus, ut moris est, largiatur.

9. Quoad Patrini munus a Sacerdotibus aliisve Clericis amplectendum idem servetur quod in praesentis Synodi titulo de Sacramento Baptismi (4).

10. Omnibus denique Nostrae Ditionis Parochis, eorumque Coadiutoribus, aliisque Curatis pro tempore existentibus committimus, ut quod de Baptizatorum syllabo disposuimus, idipsum ob easdem rationes de Confirmatorum Libro exequantur.

CAPUT IV.

De Eucharistia.

1. *Commune hoc quidem est Sanctissimae Eucharistiae cum caeteris Sacramentis* (ait Tridentinum), *symbolum esse rei sacrae et invisibilis gratiae formam visibilem; verum illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tum primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in Eu-*

---

(1) V. de Bapt. cap. 7.
(2) Trid. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 2.
(3) De Confirmat. cap. 11.
(4) De Sacram. Bapt. cap. 7.

charistia ipse Sanctitatis auctor ante visum est, (1)... *Christus nempe discessurus ex hoc mundo ad Patrem accepit panem, gratias agens, benedixit, fregit, deditque discipulis suis dicens: Accipite et comedite: hoc est corpus meum; accipite et bibite: hic est enim sanguis meus* (2). *Hoc facite in meam commemorationem* (3). Ex ipso igitur Christi Testamento Ecclesia Salvatoris Nostri Corporis et sanguinis simul cum Divinitate coniuncti haeres facta est, atque hoc donorum maximum iam ex illa ultima Christi Coena adepta est. Clamant Patrum voces, clamat priorum Saeculorum fides, clamat pro germana huiusmodi doctrina sensus Ecclesiae universae, ut mirari subeat, quomodo contra ipsum Christi iuramentum: *Amen, amen dico Vobis* (4), adhuc cum Aubertino inter Calvinistas scelestissimo (5) sint qui mutire audeant temporibus nostris: *Durus est hic sermo* (6). Saepissime ergo Parochi sermocinentur de tam ingenti Redemptoris Nostri beneficio, qui cum *unica oblatione consummasset in aeternum sanctificatos* (7), sanctissimum tamen Eucharistiae Sacramentum instituit, ut illud idem corpus, quod fuerat in Cruce oblatum, non solum quotidie in Altari offerretur, sed et

---

(1) Sess. 13. cap. 3.
(2) Matth. cap. 26. v. 26. et sequen.
(3) Lucae cap. 22. v. 19.
(4) Joan. cap. 6. v. 47.
(5) V. Natal. Alex. Dissert. 12. in Hist. Eccl. Saec. XI.
(6) Joannis cap. eod.
(7) Hebr. cap. 10. v. 14.

sumeretur a fidelibus, quo passioni et Cruci eius perfectissime communicarent.

2. In Eucharistia conficienda Presbyteri servata ipsius Christi verborum forma, curent, ne aliam materiam consecrent, quam panem triticeum naturali aqua subactum, et quidem azymum, iuxta Latinae Ecclesiae consuetudinem, quam a Latinis retinendam Pius V. constituit (1), et Benedictus XIV. (2). Non autem panem azymum quemcumque adhibeant, sed redactum ad formam orbicularem in Ecclesia antiquissimam (3) et singulari studio paratum (4). Vinum vero, quod altera Eucharistiae materia est, sit e vite eductum, cui aqua naturalis ex praecepto Ecclesiae admisceatur (5).

3. Cum autem iustis de causis Ecclesia usum Calicis fidelibus non sacrificantibus interdixerit, in quo Synodum Tridentinam (6), Costantiense (7) et Basyleense Concilium (8) praeiverat, ad Eucharistiae dispensationem solus panis consecretur, cuius non maior sit copia, quam quae sumentibus sufficere prudenter iudicatur. Qua de re volumus, ut hiemis tempore semel in hebdomada, aestatis vero bis in hebdomada Eucharistia sub panis specie re-

(1) Const. incip. Romani Pontifices.
(2) Const. incip. Etsi Pastoralis.
(3) Concil. Tolet. XVI. An. 593.
(4) Greg. Magn. Lib. 4. Dialog.
(5) Trid. Sess. 22. cap. 7.
(6) Trid. Sess. 21. Can. 2.
(7) Conc. Costant. Sess. 13.
(8) Conc. Basil. Sess. 30.

novetur in Sacrario, ne fortasse ob longam temporis moram, non sine quadam Sacramenti iniuria, particulae computrescant. Ad rem tamen advertere est, quod si species adeo fuerint immutatae, ut amplius panis species non sint, comburi eas oportet, et decenter in Sacrarium proiici (1).

4. Omnes baptizati de Eucharistica mensa participant, modo I. habeant in anima statum gratiae sanctificantis. Unde illud Apostoli: *Probet seipsum homo* (2). *Nullus itaque Judas assistat, nullus avarus, nam tales mensa non suscipit* (3). II. ieiunium in corpore a media nocte antecedentis diei traducat (4). *Placuit*, apposite docet Augustinus, *ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum Corpus intraret, quam reliqui cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur* (5). III. Quamdiu aetatis maturitatem, ingeniique sanitatem praeseferant. Ideo infantibus, quibus dandi Eucharistiam iam a decimo secundo saeculo mos exolevit, ad maiorem Sacramenti reverentiam Eucharistia ministranda non est (6). Idem tenendum de amentibus (7), atque energumenis (8); quibus tamen in mortis articulo (9), vel

(1) V. Collet. Tom. 5.
(2) Ep. I. ad Cor. cap. 11. v. 28.
(3) Chrysost. hom. 38. in Matth.
(4) Concil. Toletan. 7. Can. 2.
(5) Epist. 118. ad Joan.
(6) Trid. Sess. 21. Con. IV.
(7) Concil. Carthag. IV. Can. 76.
(8) Constit. Apost. Libr. 8. capit. 7.
(9) Concil. Eliberit. Can. 37.

in lucidis, si qua sunt, intervallis Eucharistiae Sacramentum concedi potest (1).

5. De necessitate medii necessariam ad salutem non esse Eucharistiam ea suadent Oracula, quae sola aquae virtute salvum fieri hominem pronunciant. Ut quid enim Apostolus de Baptizatis: *Nihil nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu?* (2) Nihilo tamen secius est Ecclesiasticum praeceptum pro adultis ab ipso Divino praecepto dependens (3), *quo omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, reverenter suscipiat ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum, nisi forte de consilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum* (4). Haec prae oculis tenentes animarum Curatores, moneant inter caetera populum, praecepto Ecclesiae non satisfieri, nisi tempore ipso ab Ecclesia statuto Sacramentum de manu Nostra, vel Parochi, aut de alterutrius licentia suscipiatur (5). Quod si qui fuerint huius praecepti transgressores, Jesu Christi indignationem incurrent, qui tremenda haec protulit verba: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis* (6).

---

(1) Divus Thomas. Q. 80. art. 9.
(2) Epist. ad Rom. cap. 8. v. 1.
(3) Joan. cap. 6. v. 54.
(4) Concil. Lateran. IV. Cap. Omnis Utriusqu. De Poenit. et Remiss.
(5) Sacra Congreg. Concil. ad Can. IX. Sess. XIII.
(6) Joan. cap. 6. v. 54.

6. Expedit profecto, ut quam frequentius fideles ad Sacram Mensam accedant (1) maxime in sollemnioribus festivitatibus, nempe, NATIVITATIS DOMINI, PENTECOSTES, CORPORIS CHRISTI, SANCTISSIMAE TRINITATIS, ASSUMPTIONIS B. M. VIRGINIS, ET OMNIUM SANCTORUM; quod signanter faciant, quum aliquod Jubilæum promulgari contingat, ne Clementissimi Dei gratiam et salutem suam eodem tempore negligere videantur (2). Clerici, omnesque inferiores Ecclesiastici ministri imitentur primorum saeculorum charitatem, qua fideles quotidie Eucharistiam suscipiebant (3). Qui primaevus ardor licet hodie deferbuerit, servandus tamen a Clericis est, in quibus supereminens fulgere debet morum Sanctitas, quoniam scriptum est: *Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum* (4). Idcirco praecipimus, ut saltem bis in mense, postquam rite sua peccata confessi fuerint, eidem ipsi Sanctitatis, scilicet Eucharistiae Sacramento communicent: quod si secus egerint, ab Ordinum susceptione, quamdiu Nobis videbitur, arcebuntur.

7. Dici porro non potest, neque unquam satis insinuari, quanta decentia Sacratissimum Christi Corpus asservari debeat, qui cum esset *Rex Regum et Dominus Dominantium* (5) *semetipsum exinanivit formam servi accipiens* (6), *nihil amplius donandum sibi reservans,*

---

(1) Trid. Sess. 13. cap. 8.
(2) V. Synod. Benedicti De Euch. Sacram. cap. 17.
(3) V. Bona Rer. Liturg. Lib. 2. cap. 17.
(4) Epist. I. Petri cap. 1. v. 16.
(5) Epist. I. ad Timot. cap. 6. v. 15.
(6) Philip. cap. 2. v. 7.

cum ultra nobis donare non posset. Igitur ante Tabernaculum perpetuo lampas in obsequii signum accensa sit. Tabernaculum ipsum quam nitidissimum et mundissimum habeat sericum aureolum, quod inter Ostiolum et SS. Sacramentum intercedat. In eo autem duae ex argento pyxides perpetuo serventur, in una quarum particulae pro Christi non defutura praesentia, in altera particulae aegrotis deferendae reponantur. Sanctissimi Tabernaculi claves Parochus quam caute custodiat, ne exinde surreptae particulae in sacrilegos usus profanentur.

8. Cum divinum de sumenda Eucharistia praeceptum tunc praesertim vigeat, cum periculosae saeviant infirmitates, adeo ut in veteri disciplina privatis in aedibus, ubi infirmi erant, ad eos tanto Sacramento muniendos quandoque consecrata sit (1); hinc Parochos exhortamur, ut infirmos viatico reficiant, etsi in peccatis vixisse compererint, modo saltem *in infirmitate petierint poenitentiam* (2). Illud tamen eos monemus, periculoso morbo laborantes posse non ieiunos sumere Eucharistiam, non autem caeteros, qui in diuturnis morbis pro pietate sua petunt Caelesti pane enutriri. Ubi contingat, viaticum ad infirmos deferri, praecedat campanae sonitus, quo Clerici et reliqui fideles ad illud comitandum concurrant: quorum hi composito corporis habitu, illi superpelliceo, vulgo Cotta, induti non sine sex luminibus, thuribulo atque umbella gradiantur. Ad quod religionis opus magis magis-

(1) V. Bingham. Orig. Ecclesi. Lib. 15. cap. 4. §. 10.
(2) Concil. Carthag. IV. Can. 76.

que fovendum Clericos huic Ministerio inservientes ad Sacros Ordines facilius promoturos promittimus; cunctis vero quadraginta Indulgentiarum dies, praeter alias Indulgentias a Summis Pontificibus largitas, in forma Ecclesiae solita singulis vicibus concedimus (1).

9. Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum absque Nostra licentia publice adorandum exponi prohibemus, si ordinarias functiones excipias, in qualibet Nostrae Dioecesis Ecclesia; alias causa a Nobis adprobetur. Quod et de Ecclesiis Regularium est aequo modo accipiendum. Semper ac exponitur SS. Sacramentum, volumus, ut pro Regnante Pontifice Oratio addatur, quae incipit » *Deus omnium Fidelium Pastor etc.*; quemadmodum et pro Augustissimo Rege Nostro illa recitetur, cuius initium » *Quaesumus Omnipotens Deus etc.* Quod iam a Nobis constitutum praesentis Synodi vigore renovamus (2).

10. In omnibus tandem Paroeciis tempore vespertino Sacrae Pyxidis expositio fiat, quem laudabilem morem iam usu receptum iterum inculcamus. Eo adveniant fideles, ut reficiantur a laboribus, gratiarum actiones Christo Domino reddant, beneficia implorent, ut ipso Mediatore, qui *nobiscum esse voluit usque ad consummationem saeculi* (3), *repromissionem accipiant aeternae haereditatis* (4).

---

(1) V. Benedicti de Euchar. delat. ad infirmos capite 9.
(2) *Edictum e die XX. Decembris* 1828.
(3) Matth. cap. 28. v. 20.
(4) Hebr. cap. 9. v. 15.

CAPUT V.

De Poenitentia.

1. *Poenitentia*, quae etiam uti virtus considerata *fuit quolibet tempore homini necessaria ad peccatorum veniam a Deo impetrandam* (1), verum et proprium est unum ex septem Novae Legis Sacramentum, cuius ope peccatoribus corde dolentibus, confessis, et poenas peccatis debitas luentibus, peccata post Baptismum admissa per Sacerdotis absolutionem remittuntur. Eritne nuda Evangelii praedicatio sublimis haec potestas, adversum quam caput moverunt Zuinglius et Calvinus, et qua ab Apostolis eorumque Successoribus peccata remitti poterant vel retineri? (2). Eccur Apostoli ipsi gravissimis sceleribus veniam indulserunt? (3). Eccur Patres modo Sacerdotes supra Principes quoad vinculi potestatem extollunt (4), modo Sacramentum hoc secundam post naufragium tabulam appellant (5), modo Poenitentiam post Baptismum secundam? (6) Proh quam dulce et suave peccantibus est Sacerdotis verbum culpas legitime condonantis: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua* (7).

(1) Trid. Sess. 14. cap. 1.
(2) Joan. cap. 20. v. 23.
(3) Epist. I. ad Corint. cap. 2. v. 10.
(4) Chrysost. Lib. 3. de Sacerd.
(5) Hieronym. Epist. ad Sabinian.
(6) Tertullian. Libr. de Poenit. cap. 7.
(7) Matth. cap. 9. v. 2.

2. Ne vero ullus erronee putet, potestatem istam certis contineri limitibus, ut quaedam graviora scelera remittendi nullum in Ecclesia ius sit, prout Montanistae et Novatiani errarunt (1), Catholicam doctrinam annuncient fidelibus omnes animarum curam habentes, ut quodcumque sciant peccatum sibi a Deo condonari, atque adeo prorsus deleri, si convertantur *ad eum in toto corde suo, in ieiunio, in fletu et in planctu* (2). Iniuriam enim Deo facit, qui de infinita ejus bonitate, atque Christi Salvatoris Nostri amantissimi plenissima misericordia desperans, in improba Cain verba prorumperet: maior est iniquitas mea, quam ut veniam merear (3). Ex altera autem parte non inde sit ansa improbis, scelestisque hominibus, ut in Sacramenti Poenitentiae confidentiam in vitiorum coeno, veluti sus in volutabro, usque ad extremum vitae exitum sese vertant. Hoc enim est illud *peccatum ad mortem*, cuius meminit Joannes (4), cui certe non quadrat quod quaerenti Petro, num septies venia peccati danda esset, Dominus respondit: *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies* (5).

3. Jam vero Sacerdotes, qui ex declaratione Tridentini (6) soli sunt prae omnibus Christi fidelibus ministri absolutionis, ex eodem Concilio firmum teneant, *nullius*

(1) Trid. Sess. 14. cap. 1.
(2) Joel. cap. 2. v. 13.
(3) Genes. cap. 4. v. 13.
(4) Epist. I. cap. 5. v. 16.
(5) Matth. cap. 18. v. 22.
(6) Sess. 14. Can. 10.

momenti eam esse debere, quam in eum proferant, in quem ordinariam aut subdelegatam non habent iurisdictionem (1). Qua de re praeter Cathedralis Ecclesiae Poenitentiarium generalem pro Universa Dioecesi confessiones fidelium excipientem (2), praeterque Parochos Ecclesiarum, quibus ad suam iurisdictionem explicandam ulteriori Episcopi mandato opus non est; inferiores Presbyteri numquam, nisi in extremae necessitatis casu, absque Nostra speciali licentia quemquam absolvere praesumant (3). Volumus interea ut ii de nostris Sacerdotibus, quibus audiendi confessiones facultas concedenda est, postquam in Venerabili Nostro Seminario Theologiae Morali studuerint, ante Nos examen subeant, facultatem in scriptis impetraturi. Nemo ante trigesimum aetatis suae annum pro mulierum confessione adprobetur, nisi laudabilia vitae eius testimonia aliud in Domino suaserint. Nemo pro Civitate adprobatus se pro Dioecesi adprobatum censeat, neque adprobatus pro Nostra Dioecesi universa etiam pro aliis Dioecesibus id factum esse falso teneat. Nemo tandem pro utroque sexu facultatem adeptus, eam ad Monialium confessiones excipiendas extendat, quod individua mentione egere Clemens X. f. r. decrevit (4). Quoad Regulares, quorum vetera privilegia a Gregorio IX concessa per Tridentinum excussa sunt, sancimus, ut in suis Ecclesiis vel Nostris huic administrando Sacramento vacare non audeant,

(1) Bened. XIV. Constit. 100. incip. Apostolica.
(2) Trid. Sess. 24. de Reform. cap. 8.
(3) Trid. Sess. 23. de Reform. cap. 15.
(4) Constit. incipiens. Superna.

nisi de nostra, vel Nostri Vicarii Generalis licentia; illud eis in memoriam reducentes, nec etiam Moniales suo regimini subiectas nunc temporis ab iis posse, nisi de Ordinarii beneplacito (1) absolvi.

4. Cum ius reservandi casus Episcoporum sit (2), prohibeatque reservatio, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat, tum ut grandia crimina difficultate absolutionis cohibeantur, tum ut graviores morbos peritiores medici curent; caveant Confessarii, ne cui a nobis vel nobis reservata remittant. Eorum igitur Tabellam a Nobis confectam, atque apposite typis mandatam omnes memoriae tradant, ne vel ignorantia, vel oblivione fiat, ut necessaria iurisdictione expoliati absolutionem cuiquam impertiantur. Et licet *Canonicus Poenitentiarius* reservata condonare possit ratione generalis mandati, quo gaudet; numquam tamen nisi e *Nostra* speciali venia ab iis absolvet, quae speciali reservationi obnoxia a Nobis tantum remitti debere voluimus.

5. Debent porro Sacerdotes Domini, *quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones iniungere, ne levissima quaedam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur* (3). Ut autem qui Deo per peccatum iniuriosi fuerunt, satisfactoria opera exequantur libentes, edoceantur per Confessarium Dei iram per solam sa-

(1) Gregorius XV. Constitut. incip. Inscrutabili.
(2) Trid. Sess. 16. Can. 11.
(3) Trid. Sess. 14. cap. 8.

tisfactionem averti. *Sit oportet*, aiebat Augustinus, *severus in se, ut in eum sit misericors Deus* (1). Immo sciant, illa eadem opera sponte fortassis aggressa longe minoris esse, quam cum sacramentaliter imposita adimplentur; quippe quod in Sacramentali Confessione uberiorem Christi meritorum applicationem vis clavium operatur (2). Absit vero ut poenae pecuniariae imponantur, quod Sacramento odium generat, Sacerdotibus infamiam. Stante restitutionis onere nulli certo faciendae, ut vel pauperibus vel Ecclesiae erogationes fiant, iussum Sacerdotes praebeant, non manum.

6. Nullibi nisi in publica Ecclesia liceat confessiones audire, nisi per necessitatem, aliamve honestam causam aliter fiat (3). Quod ita accipiendum, ut singuli Confessarii in sua Parochiali Ecclesia, non item in alia, nisi de Ecclesiae Superioris venia, suum exerceant munus, iuxta Clementis X monitum (4). Vetamus etiam ne Mulierum Confessiones post crepusculum vespertinum, vel ante Auroram excipiantur (5), vel extra sedem confessionalem, vel e prospectu, vel crate non interposita (6), ut nulla macula honor Ecclesiae obnubiletur. Ast ubi pro tali re aedes mulierum infirmarum adeundae sint (quod in sola gravi non autem quacumque necessitate permittimus) ostium

(1) Serm. 278. De vocat. Ap. Pauli.
(2) S. Thom. lib. 3. q. 13.
(3) Sacra Congreg. Episcop., et Regular. 29. Martii 1593.
(4) Constit. Superna 1670.
(5) Sacra Congreg. ead. 21. Jun. 1620.
(6) Congregat. Inquisit. 4. Decemb. 1694.

cubiculi sit apertum, ut Confessarius ab omnibus conspici, non tamen audiri possit. Quam maxime quidem hortamur, ut Sacerdotes Sacramentum Poenitentiae in Ecclesiis administrantes, superpelliceo et violacea Stola induti considant, ad maiorem actus reverentiam. Quod in Nostra Cathedrali Poenitentiarius praecipue faciat (1).

7. Quidquid Confessarii auribus commissum est, ne cui reveletur. *Caveat omnino Sacerdos* (Lateranenses Patres loquuntur), *ne verbo*, *aut signo*, *aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem* (2). Quod secretum adeo est sacrum, ut ne quidem notitia uti possit Sacerdos, quam ex confessione poenitentis comparaverit (3). Horrendum igitur, si quis curiositatis, non ministerii Sacerdotalis causa, poenitentis circumstantias expiscetur, vel complicis nomen exquirat: quod a Benedicto XIV sub poena suspensionis interdictum est (4). Ex hoc enim facilis est ad alios gradus, quum qui curiositatem suam temperare non andet, et aliis manifestare cognita non reformidat. Hinc Confessarii in animo versentur verendum Concilii Lateranensis decretum: *Qui peccatum in poenitentiali iudicio sibi detectum praesumpserit revelare, non solum a Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam poenitentiam in arctum Monasterium detrudendum.*

8. Qui sacrilega impudentia Confessarius vel in actu

---

(1) V. Decretum S. Visit. 28. Febb. 1828. art. 31.

(2) Lateran. 4. Can. Omnis utriusque.

(3) Clemens. VIII. an. 1594.

(4) Bulla: Ubi primum.

confessionis, vel immediate ante, vel post, vel occasione, praetextu, simulatione confessionis, vel extra occasionem confessionis, in loco ad confitendum electo vel ad turpia incitaverit poenitentem, vel cum eo turpes collocutiones intermiscuerit, denuntiandum esse constituit Benedictus XIV (1). Quilibet ergo Sacerdos poenitentem hujusmodi ab alio Confessario sacrilego sollicitatum ne praesumat absolvere, nisi intra duos menses denunciationem Ordinario pro tempore praesentaverit. Quin et denunciare detractantem incurrere excommunicationem latae sententiae admoneat ab eodem Summo Pontifice indictam. Caeterum in re tam gravi prudenter procedatur.

9. Clericos, quibus SS. Eucharistiae Sacramentum suscipere commendavimus (2), ad Poenitentiam, sine qua Christi Corporis non possunt esse participes, fervidius incitamus. Etsi nunc temporis canonicam pro peccatis poenitentiam non subeant, ut severius olim eam solvebant (3), non ideo tamen putent, sibi minus quam caeteris hoc expiationis Sacramentum esse frequentandum. In habitu autem talari, et non sine christiana populi aedificatione se se Confessario sistant. Quod enim de Eucharistia tractantes ediximus, de Sacramento Poenitentiae idem pro Clericis sancimus.

10. Medici visitantes in lecto aegrotos, post tres a visitatione dies curent, ut praedicti infirmi peccata sua idoneo Confessario confiteantur, aut alias non desint. Quo-

(1) Const. incip. Sacramentum Poenitentiae an. 1741.

(2) V. Praesent. Synod. de Sacram. Eucharist. §. 6.

(3) Felix Papa Ep. 3.

circa Pii V. et Innocentii XI, ad aeternam animarum salutem intenti, Constitutiones meditentur.

11. Illud restat, ut Fideles sive mares sive faeminae intelligant per poenitentiam Dei gratiam per peccata actualia amissam nobis posse reverti, atque huic Sacramento nimiam opus esse animi demissionem et contritionem, quae *reddat nobis annos, quos comedit locusta, bruchus et rubigo, et aerugo* (1). Qua de re detecto capite mulieres confessarium ne petant; *quarum non sit extrinsecus capillatura aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples* (2). Item non accedant viri vel gestantes arma, vel saeculi odores spirantes. Non praetereant porro annualis confessionis obligationem, a die nempe Palmarum usque ad diem Ascensionis inclusive, ne sibi poenas promereant a Concilio Lateranensi latas, et a Tridentino firmatas (3). Et quoniam ea debet esse confessio, qualem Christus instituit, pro certo habeant, per confessionem sacrilegam aut voluntarie nullam Ecclesiasticum praeceptum nullatenus fuisse adimpletum (4).

---

(1) Joel. cap. 2. v. 12.
(2) Epist. I. Petri cap. 3. v. 1. et 2.
(3) Sess. 14. Can. 5. et 8.
(4) Opposita prop. damnata fuit ab Alex VII. et Clero Gallicano.

CAPUT VI.

De Extrema Unctione.

1. Qui nos Sacramentis munivit, quibus totum vitae cursum ageremus armati, etiam in extremo vitae exitu Nobis Sacramentum aliquod deesse noluit, quo et peccatorum abstergerentur reliquiae, et sanitas corporis, si id animae saluti expediret, nobis restitueretur. *Infirmatur quis in vobis?* ait Jacobus, *inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et si in peccatis sit, remittentur ei* (1). In quae catholica verba incassum tela coniicit Dallaeus, quasi ritus quidam recentior sit, vel dumtaxat pro tempore nascentis Ecclesiae institutus, quo curationum virtus videbatur frequentior; quum omnium saeculorum Concilia, et novissime Tridentinum Novatoris illius haeresim improbaverit (2).

2. Manifesta sunt Jacobi verba, ut quisque per se videat, quodnam elementum in hoc Sacramento adhiberi oporteat, nempe purum Oleum ex olivis excerptum. Illud in Latina Ecclesia addendum, nempe Episcopi benedictio feria quinta in Coena Domini data: quae licet ad Sacramenti valorem probabilius non pertineat, ea est tamen, ut sine ipsa apud Nos Sacramentum tuto non constet. Unde S. Caroli voces pensandae sunt: *Parochus si per*

(1) Jacob. cap. 5. v. 14. et seq.
(2) Sess. 14. Can. 1.

errorem aliud oleum quam quod infirmorum est, ad aegrotum ungendum adhibuerit, etiamsi Chrismatis aut cathecumenorum sit, ut erratum emendet, Olei sacri, quod proprium infirmorum est, unctionem eidem adhibeat, tumque Sacramenti formam iteret (1). Quod si Oleum benedictum deficere incoeperit, commune oleum posse ei a Parocho misceri docuit Innocentius III (2) quum tota massa ex commixtione confecta pro benedicta teneatur. Quin si Oleum currenti anno benedictum desideretur, posse vetus Oleum adhiberi Sacra Congregatio declaravit (3).

3. Sacrum Oleum in vase argenteo, quod sericum violacei coloris velum contegat, reponatur; et quidem prope SS. Sacramenti Altare, ut moris est. Eius conditorii claves pari vigilantia Parochus penes se servet, qua Sanctissimi Tabernaculi (4): quod superius a Nobis praeceptum fuit (5).

4. Licet olim plures, ex vigenti tamen disciplina unus inungit Sacerdos (6), qui praeter casum necessitatis est solus Ecclesiae Parochus (7); isque superpelliceum cum Stola violacea induere debet, et Clerico cum imagine Crucis praeeunte, non sine aliquo lumine et aquae benedictae hydria, infirmi lectum adire. Non tamen mo-

(1) Synod. V. Mediolan. 1579.
(2) Cap. 3. de Consecrat. Eccles.
(3) Mart. 1690. v. Gavanti.
(4) Cap. 1. Ex de Custodia Eucharistiae.
(5) V. Part. II. huius Synod. Tit. 4. §. 7.
(6) Cap. 14. Ex. de verb. signific.
(7) Clement. un. de privilegiis.

ribundis solum, qui animam iam agunt, sed et iis, de quorum morte timetur, extrema unctio danda est (1). Atque adeo Concilium Mediolanense I. sic statuit: *Sacramentum extremae unctionis curet Parochus, ut aegroto conferat, dum integris est sensibus.* Non negligant ergo infirmorum consanguinei Parochi operam, ut eo tempore sit hoc Sacramentum iis ministratum, quo gratiae fructum intelligere possint, non quo semimortua cadavera iacent. Et quoniam ipsa senectus infirmitas quaedam est, Concilium Mediolanense IV. ipsis senibus Sacramentum hoc ministrari non dubitat, quamvis illi febri non laborent. Secus tenendum de reis ultimo supplicio damnatis, de mulieribus parturientibus, aliisque id genus hominibus, a quibus videtur alienus expressus Jacobi conceptus.

5. Extra omnem dubitationem foret satius, Eucharistiam post unctionem extremam praeberi, eo praesertim, quod Sacramentum hoc veluti poenitentiae perfectio et consummatio semper apud Ecclesiam habitum sit (2). At quum sensim obtinuerit, ut extremae unctiones ad ultimas vitae augustias dentur, volumus propterea, ut ministrentur post ipsum Sanctissimum Viaticum. Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum huius Sacramenti subsidio iuvari poterunt, quum in aliud simile vitae discrimen inciderint (3).

6. Mirabiles effectus ab hoc Sacramento pendentes

---

(1) Eugenius IV. in Decreto.
(2) Trident. Sess. 14. de Sacram. Extrem. Unction.
(3) Trident. ead. Sess. cap. 3.

explicent Parochi. Nam quidquid peccati residuum est, ex anima ipsum eradit, infirmum alleviat, sanitatem corporis quandoque etiam adducit. Qua de re usu veterum etiam in levibus morbis, aut in infirmitatis principio infirmi ungebantur. Ast, ut extrema unctio effectus habeat suos, certas dispositiones in subiecto supponit, nempe ut sit corde contritum atque a culpis absolutum, vel saltem signa poenitentiae dedat: quin et fide viva sit praeditum, ut per fidei orationem erigatur. De his ergo Pastores edoceant fideles suos, ut dum mors appropinquat, scuto tam salutari se contegant: et dum peccatis in vita se tradere parvi penderunt, morti iam proximi divinum hoc adiumentum, nescio quo generali praeiudicio occupati, nequaquam perhorrescant. Quod si Parochorum culpa infirmi absque hoc Sacramento e vita decedant, in graves incurrent poenas, quas Canones incuriosis Parochis minantur (1).

CAPUT VII.

De Ordine.

1. Politicum regimem Ecclesia Jesu Christi imitata Ministros habet sacros, quibus sollemni inauguratione potestas Spiritualis ad sacra Religionis ministeria rite ex officio obeunda, non sine gratiae effusione confertur. *Admoneo te*, sic ad Timotheum Apostolus, *ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum*

(1) Cap. de Cleric. Can. Placuit et ibi Glossa Q. 1.

mearum (1). Est igitur Sacer ille ritus, seu Ordo, veri nominis Sacramentum, quod a Tridentino Concilio adversus Novatores statutum est (2). Iterari propterea sacer Ordo non potest, neque pro lubitu ab Ecclesiastico Ministro deponi: *Quod enim semel est consecratum, suam consecrationem numquam amittit* (3). Non itaque apud Nos, ut in haereticorum rebellium castris, *alius hodie Episcopus cras alius*; *hodie Diaconus qui cras lector*; *hodie Presbyter, qui cras laicus*; *quorum ordinationes temerariae, leves, incostantes* (4).

2. Divina Ordinatione Ecclesiasticam hierarchiam esse institutam dogma fidei est, ut Episcopi, iure Divino Presbyteris superiores, ordinandi et confirmandi potestatem habeant, eamque cum Presbyteris nequaquam communem (5). Hinc cum Epiphanio *furiosum et immane* Acatholicorum dogma dicemus, qui Christi in Ecclesia Sacerdotium hieroduliam appellatam volunt, ut Episcoporum cum Presbyteris *unus sit Ordo, par et idem honor et dignitas* (6).

3. Ubi Ecclesiae administratio non amplius in solidum ab Episcopis servata est, et quidam civitatum fines in ipsius Ecclesiae commodum cuilibet Episcopo assignati fue-

---

(1) Epist. 2. ad Timoth. cap. 1. v. 6.
(2) Sess. 23. Can. 3.
(3) Petrus Lomb. lib. 4. Distinct. 1.
(4) Tertullian. Lib. de Praescript. cap. 41.
(5) Trident. Sess. 23. Can. 3.
(6) Epiphan. haeres. 75.

runt (1), proprii proinde Clerici praeter Christianum populum cuilibet cesserunt. Hinc iam a veteri disciplina alium petere Episcopum Clerici vetabantur (2), a quo ad Sacros Ordines promoverentur. Quod et nos praesenti Synodo confirmantes volumus, ut nullus e nostris Clericis aliter Ordines suscipere audeat, quam a Nobis, vel ab alio, cui per debitas Nostras Litteras eum ordinandum dimiserimus (3).

4. Cum, Deo iuvante, Seminarium anno proxime elapso, et quidem die XIII. Mensis Maji 1838 a Nobis primitus in Nostra Dioecesi extructum excipiendis Clericis panderimus, volumus, ut nulli, nisi in Seminario degenti, liceat pro suscipiendis Ordinibus offerre postulationes. Quod si quem necessitas coegerit, ut extra Seminarium moretur; id de nostra venia fiat in scriptis concessa. Videant porro ad Ordines promovendi an iis instructi sint qualitatibus, quae decent altaris Ministros, scilicet praeter Baptismum (4), Confirmationem (5), et competentem aetatem a Tridentino indicatam (6), pactisque conventis inter BENEDICTUM f. r. PAPAM XIV. et Carolum olim Augustissimum Regem nostrum (7) firmatam, videant, inquam, an *irreprehensibilem et sine crimine* duxerint vitam, ut ad alios sancti-

(1) Decret. Gratiani Caus. 9. Q. 2.
(2) Concil. Nic. Can. 16. et Calcedon. Can. 20.
(3) Trident. Sess. 7. De Reform. cap. 1.
(4) Cap. 1. Ex. de Presbyl. non baptiz.
(5) Trid. Sess. 23. de Ref. cap. 4.
(6) Idem Sess. 22. de Ref. cap. 12.
(7) Cap. 4. de Requisiti de Promovendi agli Ordini, anno 1741.

ficandos iure possint initiari; et an illam litterarum habeant peritiam, qua a *Canone alieni* iudicari a Nobis non debeant (1). Quocirca in hac Synodo stabilitum maneat in futurum, neminem ad minores vel maiores Ordines adaugeri, qui vel Seminarii Nostri Rectoris (si in Seminario sit), vel Parochi aut Vicarii Foranei (si domi maneat) iuratam de moribus, Ecclesiae servitio, profectu in scientiis, Sacramentorum frequentia testificationem Nobis non exhibeat: quae omnia scrupulose observari districte mandamus.

5. Nemo prima Clericali Tonsura inaugurabitur, qui integrum triennium habitum Clericalem non detulerit (2), atque decimum tertium egerit aetatis annum; modo ad aliquod Beneficium Ecclesiasticum ante Concilium Tridentinum fundatum, et saltem offerens medietatem redditurum, qui pro taxa Diocesana statuti sunt, arctatus non inveniatur. Annua vero interstitia inter Acolythatum et Subdiaconatum, et inter omnes Sacros Ordines omnino intercedant, a quibus non dispensaturi erimus, nisi quum necessitas, utilitasque Ecclesiae id exposcat (3).

6. Ubi Ecclesiastica Beneficia desint, ad titulum Sacri Patrimonii pro Ecclesiae utilitate aut commodo ordinari posse Clericum, explorati apud nos iuris est. Irregularis porro fit, atque in poenam suspensionis incurrit, qui falsum titulum obtrudat (4). De iure autem novisi-

---

(1) Cap. Illitteratos. Distinct. 36.
(2) V. il Concordato del 1741. de' Requisiti ec. cap. 4. art. 4. e 5.
(3) Trid. Sess. 13. cap. 11. 13. e 14.
(4) Id. Sess. 21. de Reform. cap. 2.

mo ad Sacrum Patrimonium constituendum quadraginta Nostri Regni ducata, omnibus detractis oneribus, annuatim Clerico percipienda ad minimum assignanda sunt (1). Semel autem constitutum patrimonium neque alienari, neque obligari, neque permutari poterit, nisi ea adimpleantur quae Tridentinum statuit (2), et Regalia Rescripta saepius confirmarunt (3).

7. Noverint tandem ii, qui ad Ordines Sacros ascendunt, inter caeteras eorum virtutes praecipuam censeri coelibatum, qui tam in Orientali quam in Occidentali Ecclesia initio praescriptus fuit (4). *Quid facient*, ad rem aiebat Hieronymus, *Orientis Ecclesiae*, *quid Aegypti et Sedis Apostolicae*, *qui aut Virgines Clericos accipiunt*, *aut continentes*, *aut si uxores habuerint*, *mariti esse desistunt* (5). Hanc quidem disciplinae regulam tot conatibus ab Heterodoxis impetitam (6) at Summorum Pontificum et Conciliorum decretis identidem roboratam Tridentini Patres adprobarunt, ut primorum saeculorum relaxata virtus in Ecclesiam tandem aliquando remearet (7). Hanc igitur Sacerdotalis muneris gemmam Ecclesiastici Ministri custodiant, suoque honesto vivendi genere ostendant quam sapientissime Ecclesia voluerit, *ne victima illa Cae-*

(1) Real Rescritto de' 24. Marzo 1830.
(2) Sess. 21. de Reform. cap. 2.
(3) Decreti del 5. Sett. 1827, 13. Sett. 1828. e 6. Nov. 1830.
(4) Benedict. XIV. Tom. 1. Constit. 129. Eo quamvis tempore.
(5) Hieron. contra Vigilantium.
(6) V. Bellarm. Lib. 1. De Clericis. cap. 19. et seq.
(7) Sess. 23. de Reform. cap. 13. e Sess. 24. Can. 9.

lestis contrectaretur, immolaretur, produceretur in Altari nisi per eos, qui aut Virgines essent, aut vidui, aut in aeternum pudici (1).

CAPUT VIII.

De Matrimonio.

1. Non sunt politicus tantum contractus inter Virum et mulierem Nuptiae, sed Sacramentum magnum a Christo institutum (2), *ut quod Deus coniunxit, homo non separet* (3). Et quidem nuptiae tum arcanam illam coniunctionem designant Christum inter et Ecclesiam; tum gratiam sub signo sensibili collatam, per quam sanctificantur coniuges, viresque ad onera matrimonii divinitus recipiunt. Unde ad altiorem finem refertur in nova Lege matrimonium, quam cum post Adae creationem Deus dixit: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi* (4). *Quemadmodum enim* (inquit Cathechismus Romanus) *ut naturalis coniunctio, ad propagandum humanum genus ab initio institutum est; ita deinde, ut populus ad Veri Dei et Salvatoris Nostri Christi cultum et religionem procrearetur atque educaretur, Sacramenti dignitas illi tributa est* (5). Non est ergo cur strepitus ciant Sociniani eorumque gregales,

(1) Hierom. contra Vigilant.
(2) Eph. cap. 5. v. 32.
(3) Matth. cap. 19. v. 6.
(4) Genes. cap. 2. v. 18.
(5) De Sacram. matrimonii §. 15.

contra quos Costantiense Concilium (1) nec non Tridentinum anathematis gladium iam perstrinxit (2).

2. Indissolubile porro est hoc vinculum: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit* (3). Christus nempe divortia vetuit, quae apud Judaeos, Graecos et Romanos facta erant frequentissima, docuitque origine et natura sua matrimonium esse unionem individuam, qua non sunt duo, sed una caro, tantumque repudii libellum a Moyse fuisse permissum propter duram Hebraeorum cervicem: *Quoniam Moyses ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere Uxores vestras; ab initio autem non fuit sic* (4).

3. Praecipua matrimonii bona tria sunt, prolis nempe, fidei, et Sacramenti. Filii quidem per legitimum matrimonium legitimi nascuntur intensius amantur, atque religiose educantur. Quos Apostolus tam magni aestimavit, ut diceret: *Salvabitur mulier per Filiorum generationem* (5). Fides coniugalis sancta fit, ut alter in alterius corpus ius acquirat, nullusque polygamiae locus detur (6). Unde idem Apostolus: *Mulier*, ait, *sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem, et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier* (7). Sacramentum denique coniuges gratia implet, familiaeque gravamina leviora reddit. Quae omnia a Parochis enucle-

(1) Sess. 15.
(2) Sess. 24. Can. 1.
(3) Epist. I. ad Corinth. cap. 7. v. 39.
(4) Matth. cap. 19. v. 8.
(5) Epist. I. ad Timoth. cap. 2. v. 15.
(6) Trid. Sess. 24. Can. 2.
(7) Epist. I. ad Corinth. cap. 7, v. 4.

entur, ut si qui non se continent, nubant (1); ut si qui perfectiora non attingunt, secundum indulgentiam concesso matrimonio utantur (2).

4. Quum impedimenta sive a Lege naturae, sive a sacris Canonibus provenientia nonnumquam personas omnino inhabiles reddant ad contrahendum, alias vero tantummodo impediunt quominus contrahant; videant, quaeso, Parochi an inter contrahere volentes aliquod impedimentum habeatur. In hoc casu ab omnibus desistant; Nosque adeant, ut, ubi opus est, post debitam dispensationem matrimonium executioni demandetur (3). Ad rem trinas proclamationes, iuxta Tridentini iussum (4) facere non praetermittant, et quidem tribus diebus festivis inter Missarum sollemnia, in quibus nomen contrahentium adstantibus exprimant; ut si quis aliquod inter eos impedimentum esse norit, nulla interposita mora, Ecclesiae denunciet (5). Quod si contrahentes in diversarum Paroeciarum ambitu habitent, in utrisque proclamationes fiant (6), quae iterari debebunt, si duobus post proclamationes exactis mensibus, nuptiae benedictae non fuerint (7). Ubi aliqua proclamationes dispensandi iusta causa fuerit, prout Nobis in Domino videbitur, providebimus.

Non omnia anni tempora ea sunt, in quibus sollem-

(1) Epist. I. ad Corinth. cap. 7. v. 9.
(2) V. Synod. Benedicti de Sacramento Matrim. cap. 24.
(3) Benedictus XIV. Quaest. 45.
(4) Sess. 24. de Reform. matrim. Cap. I.
(5) Cap. 3. Ex. de Clandest. desponsat.
(6) Concil. Lateran. IV. sub Innocentio III.
(7) V. Rituale Romanum.

nitas nuptiarum permittitur. Quando enim poenitentiae Ecclesia vacat, absonum est, ut pompa nuptiarum spiritum poenitentiae perturbet. Qua de re ex nova disciplina ab Adventu Domini usque ad Epiphaniam, et a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschae matrimonium celebrare non licet (1). Hoc propterea temporis intervallo si quid sit necessitati indulgendum, adhibitis ad Nos precibus, dispensatio opportuna impetretur. Clandestina vero, adeoque irrita ea matrimonia habeantur, quae coram proprio Parocho vel alio Sacerdote de Parochi licentia, nec non coram duobus vel tribus testibus inita non fuerint: quod sanissime ab Ecclesia inductum, ne familiarum status esset incertus, novaeque contra primas nuptiae quotidie attentarentur.

6. Non alio in loco quam in Ecclesia Parochiali nuptias benedici fas sit; et si domi vel alibi id fieri concedemus, parvum Altare cum Crucifixi imagine erigatur.

7. Tandem volumus, ut Parochi Sponsos de Christiana doctrina interrogent, quos si in ea eos ignaros compererint, ultra progredi non audeant. Curent interea ut eam illi edoceantur, et facti de eorum peritia certiores, (caeteris de Jure praemissis) eos in Sacramentali unione coniungant (2).

---

(1) Trid. Sess. 24. de Reform. matrim. cap. 10.

(2) V. i Nostri Decreti Generali di S. Visita de' 28. Febbraio 1829. art. 26.

PARS TERTIA

DE DISCIPLINA.

CAPUT I.

De Vita et honestate Clericorum.

1. *Sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus* esse Clericus debet, *ut in dilectione ambulet: fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in eo* (1). Inde propterea Clerici nomen derivatum, quod servitio, et cultui Divino specialiter mancipatus *de unius sorte Domini sit*, et Domini partem habeat (2). Nostri igitur Clerici sive in minoribus sive in maioribus constituti Ordinibus, mundanis curis omnino liberi, bonorumque studiosi operum, sint *lucerna non sub modio posita, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt* (3).

2. Non est autem Clericis sufficiens, ut intus suae bonae conscientiae testimonium habeant, sed debent insuper suas externas actiones ita moderari, *ut caveant omnes suspiciones, et quidquid probabiliter fingi potest* (4). Precamur igitur, ne mulierum domos frequentent, earumque servent consortium (5). Quod si per necessita-

(1) Ep. cap. 5. v. 2. et 3.
(2) Cap. Cleros. 1. Distinct. 21.
(3) Matth. cap. 5. v. 15.
(4) Hieronym. Epist. ad Nepotianum.
(5) Concil. Carthag. 3. Can. 15.

tem fiat, hortamur *ut Clericus solus ad faeminae tabernaculum non accedat sine maioris notae Sacerdotis iussione*. Nec solus Presbyter cum sola faemina *fabulas misceat* (1). Quod est eo sensu accipiendum, quo nec faeminas in sua domicilia admittere sibi licitum putent, *quia non potest toto corde cum Deo habitare, qui faeminarum accessibus copulatur* (2). Imitentur hac in re Augustinum, qui ad Deum reversus, nec cum sorore sua simul habitare consensit, dicens: *Quae cum sorore mea sunt, sorores meae non sunt.*

3. Choreas spectaculaque et convivia publica vitent, ne ob luxum petuluntiamque eorum nomen Ecclesiasticum male audiat (3). Nimirum spectacula, plerumque lasciviam, turpesque amores redolent; vel si haec demas, mundanam vanitatem procul dubio sapiunt. Multo minus audeant in scenam prodire, ibique Actoris officio fungi, vel eos, qui mox in scenam ituri sunt docere, componere, aut quomodocumque dirigere (4). Item abstineant a' profanis bacchanalium licentiis (5); quo integro temporis curriculo, dum caeteri e populo personati incedunt, rumoresque miscent in plateis, ipsi in Ecclesia *inter Vestibulum et Altare* peccata populi plorent (6).

---

(1) Cap. Clericus 20. Distinct. 81.

(2) Cap. Hospitiolum 17. Distinct.

(3) Concil. Moguntin. 9. cap. 74.

(4) Sacra Congregat. Concil. 22. Aug. 1655.

(5) *Benedictus XIV.* Tom. 2. Const. 45. inter caetera. Et V. Nostrum Edictum de die 6. Januarii 1833.

(6) Ioel. cap. 2. v. 17.

4. Quum Sapientissimus SALVATOR NOSTER illud grande praeceptum nobis dederit: *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra a crapula et ebrietate* (1), Clerici sibi vetitum sciant se se commessationibus et vino dedere, quae mentis *inducunt exilium, et libidinis provocant incentivum*. Frugales sint et temperantes; qui enim *abstinens est, adiiciet vitam* (2). Tabernas etiam et cauponas non intrent: quae loca Sacerdotalem deprimunt Dignitatem, et parvis magna componunt. Quod si in itinere fuerint, eas ingredi poterunt; si tamen eo tantum tempore ibi morentur, quo peregrinationis necessitas compellat.

5. Ne quis e nostris Clericis, aut mercaturam exerceat, aut saecularia negotia tractet. *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut placeat ei, cui se probavit*, aiebat Apostolus (3). Quo inde deduci facile est, quod ii, qui Deo mancipati sunt, neque amplius de Saecularis, sed Ecclesiasticae Reipublicae corpore esse videntur, abstinere debent a rebus contentionis, periculi, damnationis feracissimis, uni orationi et pietati inhiantes. Quod veteres Imperatores confirmarunt; qui ideo eos a publicis muneribus exemptos voluerunt, *ne a cultu summae Divinitati debito abstraherentur* (4), et Augustissimus Rex olim noster FERDINANDUS I. summa religione renovavit (5).

(1) Lucae cap. 22. et 34.

(2) Eccli. cap. 37. 34.

(3) Epist. 2. ad Timot. cap. 2. v. 4.

(4) L. 2. Cod. Theodos. De Episcopis.

(5) V. il Real Decreto del 20. Gennaio 1816, e la Ministeriale Circolare de' 22. Giugno del detto anno.

6. Cum velint TRIDENTINI PATRES, ut Clerici *per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant* (1); propterea iubemus ut Tonsuram Clericalem et Vestes Ordini et Dignitati suae convenientes semper deferant. Ne ergo Vestibus saecularibus utantur (2), aut calceamentis, quae Religionem non decent (3). Qua in re et canonicis Sanctionibus (4) et Regiis Rescriptis (5) temere contraire ne praesumant. Quamvis porro laudandum atque optandum esset, ut qualibet diei parte, uti Synodus Neapolitana (6) et Mediolanensis (7) voluerunt: illud tamen satis Nobis est, si de mane, atque in omnibus Ecclesiasticis functionibus Talarem habitum induantur. Ast Parochis, Oeconomis, eorumque Coadiutoribus numquam fas sit breviori Veste uti, quippe quibus nullum est diei tempus, in quo pro Ecclesiae sollicitudine animarumque cura semetipsos impendere non debeant (8). Quodcumque denique indumentum sit a Clericis adhibitum, insculptum corde teneant, memorandum Ambrosii dictum: *Decor corporis non sit affectatus, sed naturaliter simplex, neglectus magis, quam exquisitus. Non pretiosis aut albentibus indutus sit Clericus vestimentis, sed communibus, ut honestatis et necessitatis nihil desit, nihil accedat nitoris* (9).

(1) Sess. XIV. cap. 6. de Reformat.
(2) Conc. Roman. 1. sub Zacharia cap. 3.
(3) Cap. Clerici 21. Distinct. XXIII.
(4) Constit. Sixti V. incipien. Sacrosanctum ann. 1588.
(5) V. il Real Rescritto de' 11. Luglio 1827.
(6) Syn. I. Provincial. Neapolitan. cap. 22.
(7) Synod. I. Mediolanen. Provinc. cap. 17. e 23.
(8) V. i Decreti Generali di S. Visita del dì 28. Febbraio 1826. art. 10.
(9) Divus Ambros. Lib. 1. officior.

7. Cum fortes esse debeant Clerici in Religione tuenda, in hac Nostra Synodo mandamus, ut in doctrina sana potentes fiant. Sacram Scripturam diurna nocturnaque manu versent, ut *dum vaniloqui et seductores docentes ea, quae non oportet, universas domos subvertant* (1), *ipsi praedicent verbum, arguant, obsecrent, increpent.* Item Sanctorum Ecclesiae Patrum Opera evolvant, quae traditionis promptuaria sunt; ut in rebus dubiis videant *quid sibi consentiens Sanctorum Patrum tenuerit antiquitas* (2). Ediscant Sacros Canones, *quos nulli Sacerdotum ignorare licet* (3). Theologiae Moralis studio se totos tradant, ut animarum curam suscipere, sacras confessiones audire, populum instruere possint. Quae omnia a Concilio Toletano III. Can. 33. una simul praescripta Provincialis Neapolitana Synodus sua fecit: *Ignorantia*, inquiens, *mater cunctorum vitiorum, maxime in Sacerdotibus Dei, vitanda est, quorum labia custodire debent scientiam. Sacras igitur Scripturas legant, et Canones ecclesiasticos sciant, praesertim in iis, quae ad munera sua recte praestanda necessaria sunt, ut aedificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina* (4). Ut vero magis atque magis in Sacris huiusmodi scientiis ad sui, populique Christiani utilitatem succrescant, decernimus, ut nullus dehinc ad Subdiaconatus Ordinem promoveatur, qui inter caetera requisita com-

(1) Epist. ad Tit. cap. 1. v. 10. e 11.
(2) Vincent. Lirinens. in Commonit.
(3) Coelestinus Papa Ep. 3. cap. 1.
(4) 2. Synodus Provinc. Neapolit. Tit. 8. cap. 5.

petentem in una saltem ex supradictis facultatibus instructionem non habeat, neque ad alios Sacros Ordines gradiatur, nisi maiora semper, eaque laudabilia sui progressus argumenta coram Nobis, nostrisque Examinatoribus tradiderit.

8. Quae omnia circa Poenitentiae (1) atque Eucharistiae (2) Sacramenta voluimus observari a Clericis; quaeque statuimus circa Doctrinae Christianae institutionem per eos pueris procurandam (3), hic repetimus et confirmamus; ut quanti Nostra intersit et eorum et caeterorum fidelium salus cunctis innotescat.

9. Tandem in Casuum Conscientiae aut Ecclesiasticae Liturgiae resolutione (ad quod pium proficuumque opus aggrediendum et nullo futuro tempore intermittendum Congregationem iam a prima Praesulatus nostri sancta Visitatione instituimus (4)) Clericos exerceri volentes, Nostras encyclicas Litteras de die 1. Januarii praesentis anni 1839. in vigorem adducimus; ut singulis mensibus Casus morales vel Liturgici omnibus uniuscuiusque Paroeciae Clericis coeuntibus, enodentur. Hinc in Nostri Almi Seminarii aedibus tum Cathedralis Ecclesiae Canonici, tum singuli Castellanetensis Civitatis Praesbyteri, tum sub Nostra vel Nostri Vicarii Generalis praesidentia unus post alium Nostro arbitrio designandus casum propositum extricet. In reliquis vero Nostrae Dioecesis Parochiis Vicarii

---

(1) V. Praesent. Synod. De Sacram. Poenit. cap. 10.
(2) V. Praes. Synod. De Sacram. Eucharist. cap. 6. et 8.
(3) V. Praes. Synod. De Parvulis in fide instituend. cap. 3.
(4) Decret. Sanctae Visitat. die 3. Ottobr. 1828.

Foranei vices Nostras gerant, ut postquam in Presbyterali conventu resolutiones omnes, si quid erit minus proprium aut rectum, sigillaverint, ad Nos eas mittant. Si qui absque ulla iusta causa deerint, Nobis denuncientur, ut debitas poenas iis aptare possimus. In omnibus caeteris ea teneantur, quae in Ordine recitandi Officii Divini Nostra Auctoritate concinnato ad calcem disposita leguntur.

CAPUT II.

De Capitulo Cathedralis Ecclesiae.

1. Inter caetera Clericorum Collegia eminet CAPITULUM CATHEDRALIS ECCLESIAE, *quod*, aiente Bohemero, *sub Episcopo quidem, sed separatum corpus, tamen sub directione Praepositi et Decani constituens, Episcopo in adiutorium datum est* (1). Quod enim olim Presbyterium, nunc Capitulum sibi hodie vindicat, ut illud *Ecclesiae Senatum* cum Tridentino iure appellemus (2). Quemadmodum vero Capitulares Canonicorum nomine etiam veniunt, sciant non ita tantum eos audire, quasi in Beneficiatorum canonem, seu album referantur; sed eo praesertim, quod si non sollemni professione, saltem observantia Ordinis vitam canonicam profiteri debeant. *Respondeat ergo eorum vita titulo, respondeat nomini: sint reipsa, ut sunt nomine, Canonici, idest Regulares* (3).

(1) In Decretal. lib. 3. tit. 9. §. 7.

(2) Sess. 24. cap. 12. de Reformat.

(3) Concil. Colon. 2. part. 3. cap. 4.

2. Jam ab ea tempestate, qua haec Castellanetensis Ecclesia in Cathedralem erecta est, nempe ab anno 1088; quo a Principe Richardo congrua dotatione adaucta fuit, varia experta est discrimina quoad Capitularium numerum Choro Cathedrali inservientium. Numerus eorum quadragenarius Concilii Tridentini aetate existens, iam ab Anno 1808 mutationem passus, eo rediit, ut viginti quatuor tantum Canonici, computatis Portionariis, recenserentur. Ast ad concedendam perpetuam Missarum reductionem, quae tum lectae tum sollemnes ab anno superius enunciato coelebratae non fuerant, quemadmodum a Sacra Congregatione Concilii per Rescriptum de die 9. Aprilis, elapsi Anni 1838. revera indultum fuit, Sanctissimus Dominus Noster GREGORIUS XVI. Litteris in forma Brevi sub annulo Piscatoris, die 4. Maii eiusdem anni, ad nos expeditis benigne annuit, ut duo praeter existentes adderentur Canonicatus, atque adeo de novo erigerentur. Pontificiae vero Litterae Regio Exequatur de die 14. eiusdem mensis et Anni communitae fuerunt, atque a Nobis executioni demandatae (1). Est ergo sic numeratum Capitulum. Quatuor adsunt Dignitates, quarum primam tenet Archidiaconus, qui primam vocem habet in Capitulo, et primus in Choro sedet; alteram Cantor, qui Chori est Rector; tertiam Thesaurarius, cui animarum cura subest; quartam Archipresbyter. Hae quidem Dignitates suum stallum assignatum occupant, quorum primum in Cornu Evangelii Archidiacono, secundum Thesaurario; primum in cornu Epistolae Cantori, secundum Archipresbytero cedunt.

---

(1) V. il Nostro Decreto de' 26. Settembre 1838.

Sequuntur Canonicus Poenitentiarius et Canonicus Theologus, qui licet Dignitates non sint, tamen iuxta Canonistarum sensum Dignitatibus aequiparantur: nec non alii praeter hos duodecim Canonici, qui hinc et inde post Dignitates in Choro considunt. Portionarii autem, qui octo numerum non trascendunt, quippe secundi ordinis Canonici existimandi sunt (1), in stallis inferioribus manent. Servata uniuscuiusque antiquitate (praeter 4. Dignitates) caeteri in Choro sint.

3. Nemo ex Dignitatibus Nostrae Cathedralis, ejusdemque Canonicis, dum Praebendae aut Canonicatus possessionem adipiscitur, fidei professionem coram Nobis vel Nostro Vicario Generali, ipsoque adstante Capitulo emittere praetermittat (2). Qui enim id detractaverit, praeterqnam graviter peccabit, fructus non faciet suos, nec illi possessio suffragabitur (3). Ad hanc vero fidei professionem Portionarii non tenentur, ad quos scilicet Tridentini verba extendi non possunt (4).

4. Sacerdotes, vulgo nuncupati *Spartati*, Portioni Capitulari aucupandae incassum inhiabunt, nisi inter caetera requisita etiam Aeditui (italice *Sagrestano*) munus in Ecclesiae Sacrario integrum annum functi sint. Quod si anno expleto contingat, ut nullus alius simplex Sacerdos Sacerdoti emerito substituendus in promptu habeatur, in officio suo hic perseveret, nec adhuc rude donetur. Quae

(1) V. la Ministeriale del 25. Luglio 1829.
(2) V. Tit. 1. huius Synod. de Fide art. 9.
(3) V. Bened. XIV. Instit. 70. per totum.
(4) Garcias de Benefic. part. 3. cap. 3. num. 13.

vero ab Aedituo sunt agenda, in Episcoporum Caeremoniali latissime panduntur (1). Sacrorum Ecclesiae Vasorum ipse habeat curam, paramenta Sacra munda servet, argentea et pretiosa obiecta custodiat. Ei parebunt caeteri Sacerdotes, minoresque Clerici, si eos facias immunes, qui vel Parochi coadiutores sunt, vel e Seminario Lectores. Sacerdotes huius requisiti expertes Capitulum canonice instituendos nobis ne praesentet.

5. Patrimonium Sacrum, deficiente Ecclesiastico Beneficio esse inductum, et quidem ex male intellectis Synodi Lateranensis verbis sub Alexandro III. celebrati, comperta res est (2). Hinc ad veterem disciplinam rem revocantes Patres Tridentini, patrimonium vel pensionem habentes non ordinari voluerunt, nisi pro necessitate aut commoditate Ecclesiarum (3). Quae doctrina apud Nos confirmata est pactis conventis inter BENEDICTUM XIV. et CAROLUM olim Regem Nostrum (4). Capitulum ergo Cathedrale, quod ad Portionem Capitularem in Sacri Patrimonii titulum Nobis idoneos Clericos praesentare debet (nec non Capitulum Motulense, quod eodem privilegio gaudet) (5) non pauperes, qui sibi patrimonium constituere nequeunt, veluti de iure, eligat a Nobis instituendos, sed eos generatim, qui maioribus exornantur meritis, ut

---

(1) V. Titul. de Sacrist. Lib. 1. cap. 6.

(2) Vedi Cavallari Institut. Jur. Canon. Part. 1. cap. 31. §. 4. 5. et sequent.

(3) Trident. Sess. 21. De Reformat. cap. 2.

(4) V. il Concordato del 1741. de' Requisiti de' Promovendi a' Sacri Ordini Capo 4. numero 1. e 3.

(5) V. le Ministeriali del 28. Maggio, e del 12. Luglio 1828.

pietate et doctrina Ecclesiae Dei magis profuturi esse videantur (1).

6. Inter caetera eorum requisita, qui e multis nominandi sunt, ut Capitularem Portionem habeant, volumus ut aetatem gestantes ad Subdiaconatus Ordinem propiorem, atque Ordinibus minoribus aucti a Reverendissimo Capitulo praeferantur (2). Itidem et ii, qui in Venerabili Nostro Seminario rigidam traducunt vitam (caeteris paribus) tempore praesentationis a Reverendissimo Capitulo anteponantur iis, qui extra Seminarium Nostrum, licet de Nostra licentia, manent (3).

7. Tandem inter omnes e Nostro Cathedrali Capitulo pacem volumus et Christianam concordiam, qua tamen fiat, ut qui aetate, pietate, doctrina praecellunt, apud alios et maxime iuvenes venerationi sint. Portionarii meminerint, se inferiorem quemdam occupare locum, adeoque Canonicos, quo decet obsequio prosequantur. Hi contra ne efferant animum, sed charitatis et humilitatis existant exemplar. Cuncti vero discipuli videantur Sapientissimi Divini Nostri Praeceptoris, qui ita edocebat Apostolos: *Nam quis maior est?... nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat* (4).

---

(1) V. le Reali Istruzioni del 18. Nov. 1832. art. 3.

(2) V. il Real Rescritto del 18. Febbraio 1824.

(3) V. il Nostro Decreto per il Capitolo di Motola del 23. Genn. 1839.

(4) Lucae cap. 22. v. 27.

CAPUT III.

De Chorali Servitio et Disciplina.

1. Cum ad sollemnem horarum Canonicarum recitationem, ex ipsa natura Clericatus manantem, teneantur Canonici, *qui per certa horarum intervalla hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudent* (1): ut per debitum Campanae signum ipsi coirent, Tabellam pro singulis anni mensibus valituram in Sanctae Nostrae Visitationis progressu confecimus (2). Eam igitur adhuc usu servatam inviolabiliter retineri mandamus sub iisdem canonicis poenis ab iis incurrendis, qui nulla praevia Nostra licentia eam invertere attentarint. Quin et omnia et singula in ipsa Tabella comprehensa, quae sonitus rationem, cum mane, tum vespere habendam praescribunt, pari modo probamus iterumque sancimus.

2. Omnes vero, seu Dignitates, seu Canonici, seu Portionarii utique ad residendum adstricti, ne sua umquam ab Ecclesia abesse praesumant; alioquin contra eos poenis iisdem, quas Tridentinum definivit, procedetur (3). Ne proinde sua quisque in hebdomada Chori servitium destituat, quum alternae tantum Canonicis (ut infra dicetur) hebdomadae spatium concessum sit (4). Neque absentia incurrat in NATALE, PASCHA Domini, aliasque primas

(1) Trid. Sess. 24. cap. 12. de Reformat.
(2) Edictum Sanctae Visitat. 15. April. 1828.
(3) Trid. Sess. cit. 24. cap. cit. 12. de Reform.
(4) V. Fagnan. in cap. Licet, 35. de Praebendis.

sollemnitates, in dies Dominicos et festos, aut quocumque modo privilegiatos, quum huiusmodi diebus omnes omnino Canonici Choro interesse teneantur (1). Idem dicendum de Antiphonis, quas maiores vocant, in Nostro Calendario Dioecesano descriptis, quae in tota Octava Nativitatem Domini Nostri Jesu Christi praecedente occurrunt. In hoc enim tempore, quum omnes de Clero Saeculari, dum ipsae cantantur, assistere in Ecclesia debeant, multo certius Canonici omnes ad *Divina Officia* convenire obligantur (2).

3. Nulli parcentes studio, ut Chorale servitium in Dei atque Ecclesiae honorem magis magisque coli posset, iam Nos Articulum secundum Tituli IV. Primae Partis Statutorum Capitularium abolevimus, eumque abolitum declarantes decrevimus, ut in posterum ferialibus quidem diebus, non tertia quaque hebdomada, sed hebdomadis alternis Canonici alterni Choro adessent: quod a die 1 Semptembris 1835. erat adimplendum (3). Hoc ipsum praesenti Nostra Synodo confirmamus, ratumque habemus; atque adeo fore speramus, nullum e Nostris Successoribus tam salubri pioque instituto quomodocumque ire derogatum (4).

4. Canonici recitent Officium in Choro non autem in Sacristiae lateribus, quum *Chorus* iuxta Tridentini phrasim, *ad psallendum institutus sit* (5). Et si eum toleramus morem, quo tribus frigidioribus anni temporibus in Sacristia officium Divinum persolvant, diebus tamen eo-

(1) Sacra Congregat. Concil. 21. Jul. 1640.
(2) V. Nostrum Calend. Dioeces. die 17. mensis Decemb.
(3) Nostrum Decret 1 Maii 1835.
(4) Decretum Sacr. Congr. Concilii 5. Sept. 1699.
(5) Trid. Sess. 25. Cap. 12. de Reform.

rundem temporum festivis officio Divino in Choro omnino satisfaciant (1). Non sedeant aliis, quam suis stallis (2), nec sine Breviario prae manibus sint, etsi Psalmos, aliaque ad Officium pertinentia, memoriter calleant. Praecisa, alta, et consona voce horas Canonicas dicant, ut sint ad adstantium devotionem singulare incitamentum. Quod igitur piissimus Mediolanensium Antistes Sanctus Carolus aiebat, pro Canonicis Nostris, et Nos assumimus: *Monemus Vos, dilectissimi, ut sicut reverenter, ita et alacriter Domino assistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non praecidentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis, et remissis vocibus, muliebre quoddam de nare sonantes, sed virili sonitu, et affectu voces Sancti Spiritus depromentes.* Suis porro insignibus, seu canonicali veste sint induti, neque inter Divinum Psalterium secum invicem confabulentur: secus absentes reputari tales volumus, atque illius diei privari distributionibus (3).

5. Cantus choralis pro variis sollemnitatibus diversimode promatur. Neque iidem semper seu Canonici seu Portionarii ferialibus, festivis, et sollemnioribus diebus antiphonas, lectiones, reliqua cantent, sed ea custodiatur methodus, quam Nos pro Chorali cantu redegimus (4), ut, quadam inter Dignitates et Canonicos, inter hos et Portionarios distinctione habita, maior in Ecclesiam decor et gloria redundet. Cantor vero Cathedralis Nostrae sit, qui can-

---

(1) Sacr. Congreg. Episcop. 13. Sept. 1641.

(2) V. il Nostro Editto del 1 Maggio 1835.

(3) Sacr. Congreg. Ep. 7. Sept. 1594.

(4) V. il Nostro Editto de' 26. Aprile 1828.

tum Choralem dirigat, et Choro propterea praesideat, eoque absente gradatim et successive caeterae Dignitates vel Canonici hoc munere fungantur. Qui Lectiones dicunt, non e proprio stallo id faciant, sed exinde prodeant, atqne in medio Choro se sistant. Quod omnibus diebus seu feriatis seu sollemnibus peragendnm est, a quacumque Dignitate Lectiones recitentur, excepto celebrante paramentis sacris induto, cui Nonam Lectionem e proprio stallo dicere fas est. Qua in in re Articulnm 9. Tituli primi Primae Partis Statutorum Capitularium abrogamus, in quo contraria toleratur consuetudo, quae potius erroris vetustas censenda est (1).

Post Tertiae horae recitationem quovis die in Cathedrali Ecclesia, necnon in omnibus Ecclesiis Collegiatis Missa Conventualis pro benefactoribus celebretur. Ita enim Honorius III. ad Ecclesiam Gallicanam scribebat: *Universi et singuli provide attendentes, quod servire Deo regnare est, nullum in vos torporem negligentiae obrepere permittatis, quominus et pro anniversariis defunctorum, et pro festo vel feria, secundum temporum congruentiam Missarum sollemnia et conventualiter celebretis, et faciatis conventualiter celebrare* (2). Praeter Missam Conventualem quotidie canendam, ne alia Conventualis praetermittatur, quae iuxta Generales Rubricas certis anni diebus contingit, et post Nonam cum cantu habenda est (3). Haec vero secunda Conventualis a Celebrante ea intentione dicatur, quam Sanctissimus Dominus Papa Gregorius XVI

(1) V. il Cerimon. de' Vescovi Lib. 2. Cap. 5. e 6.
(2) Cap. Cum Creatura. De Celebrat. Missar.
(3) V. Benedetto XIV. Instit. 107. n. 2. de Missa Conventuali.

suis Pontificiis Litteris de die 4. Maii 1838, superius enunciatis, inculcavit.

7. Cum vetus in Cathedrali Nostra consuetudo ferat, ut diebus ferialibus Missae Conventualis celebratio solis Portionariis incumbat (pro quibus Dignitates et Canonici parem Missarum lectarum numerum de singulorum Portionariorum mente celebrare soliti sunt), laudabile hoc sistema non immutandum censemus; atque adeo ad lites praecavendas exacte retinendum disponimus. Si quorum culpa igitur in feriali hebdomada Missa Conventualis defuerit, ii quidem Portionarii canonicam suspensionem incurrant, ut quid simile caeteri numquam committant. Quid enim criminis est, et publico scandalo, populum Missa carere, et benefactorum animas debitis privari suffragiis!

8. Episcopo celebranti, vel alia Pontificalia exercenti Canonici omnes adsistant (1), ea forma et modo quem Pontificale Romanum exponit (2). Hinc praeter Ministros, Diaconum scilicet et Subdiaconum, qui Evangelium et Epistolam cantant, duae aliae Dignitates, vel harum defectu Canonici praesto sint. Prima vero Dignitas librum Evangeliorum Episcopo legenti praeferat, suaque fronte sustineat.

9. Omnibus Dominicis, aliisque festis diebus Dignitati sacra facienti duo e primis Portionarii inserviant; Canonico autem duo ex eorumdem ultimis, vel etiam nudis Presbyteris: prout consuetudo fert.

---

(1) Concil. Trid. Sess. 24. Cap. 12 de Reform.
(2) Sacr. Congreg. Rit. 31. Jun. 1605.

CAPUT IV.

De Thesaurario, Theologo, et Poenitentiario.

1. Spiritualis animarum cura habitualiter penes Capitulum est, actualiter penes Thesaurarium. Thesaurarius ergo Nostrae Cathedralis omnia subeat onera, quae ab hac Cura procedunt; ipse pervigilet quasi rationem Deo pro ovibus suis redditurus. Parochiales Libros, nempe Baptismi, Confirmationis, Matrimonii, Mortis, apud se attente retineat, eorumque singulos diei et anni notitiis intersepiat. Die Dominica primam celebret Missam, in qua, lecto Evangelio, populum Christianum Divini Verbi pabulo enutriat. Christianam doctrinam pueros edoceat (1), ipseque exemplum det Clericis, ut in omni patientia in hoc tam Sacro Ministerio ei succenturientur. Duo ipsum Oeconomi Curati coadiuvabunt, qui vel Portionarii erunt, vel nudi Presbyteri, quorum unus a Capitulo, alter ab eodem Thesaurario Nobis praesentabitur (2). His vero septem Sacerdotes, vulgo dicti *Spartati*, suam adnectent manum; iisque carentibus, adsumentur novissimi e Portionariis, qui fidelibus e vita discessuris per extrema Religionis subsidia opitulentur (3). Quae laudabilis consuetudo ut magis obtinere possit, illud spondemus, in cuiuscumque collatione beneficii eos praelatum iri, qui inter alias virtutes hoc Christianae pietatis officium excolere properaverint (4).

(1) V. Tit. huius Synodi de Parvulis in Fide instituendis §. 3.
(2) V. gli Statuti Capit. Part. I. Tit. V. art. 9.
(3) V. gli Statuti Part. I. Tit. V. art. 5.
(4) Decreti Generali di S. Visita 28. Feb. 1829. art. 25.

2. Canonicus, qui Theologali praebenda fruitur, ex Tridentini Concilii praescripto (1), Lectionis Sacrae Scripturae onus adnexum habet. Monemus ergo Nostrae Cathedralis Theologum (2), (necnon Theologum Insignis Collegialis Ecclesiae Mothulensis) ut saltem quadraginta lectiones quotannis in Ecclesia habeat; et si ipse fuerit impeditus, per alium idoneum Sacram Scripturam legat (3). Qualibet die Jovis, tempore Vespertino, recitatis nempe Vesperis in Choro, in id incumbat, nulla insuffragante causa quod auditores desint (4); eumque propterea praebendae fructibus expoliari decernimus, si absque ullo iusto impedimento, vel etiam tempore diuturno ab officio suo avocetur (5). Ad Sacrae Scripturae lectionem omnes Canonici et Portionarii, omnesque Confessarii accurrant, seu Saeculares sint, seu Regulares. Ipsis enim gravem hanc esse obligationem ob oculos ferimus; cum fieri non possit, ut aliis praebeant lumen nisi et ipsi recipiant. Caeteros in Domino exhortamur (6).

3. Poenitentiarius, qui est veluti Parochus totius Dioecesis, quique adeo commendatur a Tridentino (7), etiam non vocatus in Confessionali sede, cui inhaeret titulus *Poenitentiarius* (8), diebus festis sollemnioribus de mane re-

(1) Sess. 5. de Reformat. cap. 1.
(2) Decreti Gener. di Visita 28. Febb. 1828. art. 27.
(3) Bened. XIII. in Concil. Rom. Tit. I. cap. 71.
(4) Sacra Congr. Concil. 15. Oct. 1618.
(5) Decret. Nostsum 17. April. 1628.
(6) Sacra congreg. Concil. 15. Mart. 1692.
(7) Sess. 24. cap. 8.
(8) V. Decret. Gener. 28. Feb. 1829. art. 31.

sideat; in caeteris vero diebus, ubi adsint qui confiteri velint. Ne vero auctoritatem suam alii delegare audeat (1), vel ab iis culpis absolvere, quarum absolutionem Nobis expresse reservavimus (2). Quo autem tempore a Choro abest, suo muneri in Cathedrali Ecclesia vacaturus, non solum ad lucrandas distributiones quotidianas, sed etiam eleemosynas ipsas pro associandis, et sepeliendis cadaveribus defunctorum, vel pro supplicationibus et processionibus, quae per urbem aguntur, praesens omnino censeatur(3).

CAPUT V.

De Conclusionibus Capitularibus, ubi de Officialium electione et munere.

1. De Conclusionibus Capitularibus, quae ad negotia Capituli discutienda fiunt, ea serventur, quae in Statutis Generalibus exarata sunt (4). A quocumque Capitulum convocetur, nunquam Canonici ad deliberandum eo tempore cogantur, quo Divina Officia celebrari debent, nisi causa aliqua urgens in aliud tempus differre non patiatur(5). Et ubi horam Divini Officii consuetam (6) anticipari oporteat, die antecedenti, qui convocat Capitulum, faciat Nos certiores (7). Quemadmodum vero die 16 Augusti, cuius-

(1) Sacra Congreg. Ep. et Reg. 2. Ott. 1584.
(2) V. Part. 2. huius Synod. Tit. 5. cap. 5.
(3) V. Bonacina de horis Canonicis disp. 2. part. 5.
(4) V. gli Statut. Capit. Gener. Tit. 7.
(5) Sacra Rit. Congr. 27. Mart. 1632.
(6) V. Art. 3. huiusmet Titul.
(7) V. gli Stat. Gener. P. I. Tit. 2, art. 3.

libet anni, *Vicarius Noster Generalis* iis praesidet Comitiis, quibus ad Procuratoris Generalis electionem Canonici suffragia ferunt (1), ita volumus, ut in Portionariorum electione, qui a Capitulo praesentari debent, ut a Nobis canonicam institutionem recipiant, Vicarii etiam Nostri Generalis praesentia accedat, curaturi, *ut omnia honeste et secundum ordinem fiant* (2).

2. Omnia Capituli bona Procurator in Massa communi administret. Ipse omnes Ecclesiae redditus exigat, et cuique spectantem Portionem reddat. Ubi ergo contrarius mos invaluisse videatur (quod de Massafrae Nostrae Dioecesis Capitulo est signanter observandum) in hac Nostra Synodo antiquamus, ut nulli Capitulari liceat fundos sibi e Massa peculiariter assignatos habere, e quibus fructus percipiat.

3. Punctatoribus, qui numero duorum a Capitulo eligentur, praeter eum qui nominari Nostro arbitrio poterit, Canonicorum e Choro absentiam notare demandatum est. Ipsi ergo tabellam Punctaturae a Nobis publicatam (3) prae oculis teneant, ut ad eius normam omnes, qui debito Ecclesiam servitio frustraverint, distributionum quotidianarum privatione mulctari possint. In manibus autem Nostris vel Nostri Vicarii Generalis iuramentum praestent de fideliter exercendo munus susceptum, ut nullo partium spiritu, sed iustitia et veritate moveantur (4). Si vero Canonici, qui vel corporali aliqua necessitate, vel infirmitate, vel evi-

(1) V. gli Stat. Gen. P. I. Tit. 6. art. 6.
(2) Epist. I. Cor. cap. 14. v. 40.
(3) Decret. S. Visit. 17. Luglio 1828.
(4) V. gli Statuti Capit. P. I. Tit. 4. §. 9.

denti Ecclesiae utilitate impediuntur, quominus Choro assistant, iuxta BONIFACII VIII. f. r. Bullam, a Tridentino confirmatam (1), a Punctatoribus habeantur praesentes (2). Quod aptandum in eorum favorem, qui in Venerabili Nostro Seminario iuventutem instruunt vel regunt (3), aut eorum, quos iuxta Canonicas Regulas in Nostrum servitium adsciscemus. Libros autem Punctaturae in cuiusque anni finem Reverendissimae Nostrae Curiae offerant Punctatores; ut inspecta maiori vel minori singulorum adsiduitate, virgae vel honori non parcamus.

4. Magister Caeremoniarum a Capitulo designatus, ea disponat, quae ad Ecclesiasticas functiones pertinent a Dignitatibus et Canonicis peragendas. Praeter eum alii duo Caeremoniarum Magistri a Nobis instituti, quorum alterum e Canonicorum, alterum e Portionariorum vel simplicium Presbyterorum coetu adsumemus, iuxta Caeremoniale Episcoporum (4) in Nostris Pontificalibus functionibus ad sacros ritus tranquille et exacte producendos incumbent. Et quippe quod in more est, ut ab Episcopali Nostra Curia Tabella eorum efformetur, qui Nobis Pontificalia exercentibus assistere debeant, non aliter in posterum fiat atque adhuc factitatum est.

5. Praefectus Tabulario, seu Archivista, quotannis a Capitulo eligatur, isque inter alios probior. Scilicet ex Archiviorum systemate bonorum Ecclesiae securitas repetitur: ipsa enim sunt, BONIFACIO I. testante, *consuetudinum im-*

(1) Sess. 24. cap. 12. de Reform.

(2) V. Benedet. XIV. Inst. 107. §. 8. n. 51.

(3) V. Le Ministeriali del 14. Giugno 1834, e 10. Gen. 1835.

(4) V. Caeremoniale Episcop. lib. 1. cap. 5.

mortalia monumenta. Omnium autem Tabularum existentium album conficiant, ipsumque annuatim revideant, eiusque exemplar in Nostra Reverendissima Curia Capitulari reponant.

6. Quoad alia omnia, Statutis Capitularibus de die 25. Septembris 1832, inter Acta Sanctae Visitationis eiusdem anni a nobis confirmatis, litandum est: Ea propterea hac nostra Synodo omni meliori forma et modo, quo possumus, in omnibus et per omnia iterum confirmata habemus, iis tantummodo abactis, quae heic speciali mentione derogata, vel abrogata sunt.

CAPUT VI.

De Venerabili Seminario.

1. Sub ipsa Praesulatus Nostri auspicia, Dioecesim Seminario indigentem, iam a prima Cathedrae Episcopalis institutione conspicientes, tanto angebamur animi dolore, quanto cordis affectu in omnes Nostrae Dioecesis filios ferebamur. Seminarii necessitas, adeoque eiusdem erectio a Tridentino exposita atque inculcata fuit (1); Nosque nullum non tentavimus lapidem, ut satis Ecclesiae Sanctae Catholicae intentioni faceremus. Quantum in Nobis fuit, tum Augustissimum olim Regem Nostrum FRANCISCUM I, tum Clementissimum eius filium FERDINANDUM II. (quem Deus diu servet incolumem) precibus defatigantes non modo aedificium nunc temporis in Seminarium conversum;

(1) Sess. 23. cap. 18. de Reformat.

sed et nonnullos fundos centenorum ducatorum plura annuatim reddentes impetravimus. Innumeris tandem ob id laboribus exantlatis, necnon ut Rectoris, Praeceptorum, aliorumque officialium copia ex optimis qua poteramus locis coadunata, die XIII. mensis Maii 1838, Nos omnium Decessorum primi D. O. M., et BEATISSIMA MARIA Matre eius faventibus, Seminarii claustra patefecimus. Tanto autem animi gaudio vota nostra expleri videbamus, ut Supremo omnium Largitori verissime dicere cum Simeone potuerimus: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum* (1).

2. De iis solliciti, quae BENEDICTUS XIII. f. r. praecepit (2) illud adoptavimus Regularum compendium, quod pro Bovianensi Seminario ab Excellentissimo, et Reverendissimo Domino JANUARIO PASCA, Boviani olim, NOLAE nunc clarissimo et sapientissimo Antistite redactum est (3). Ipsum ergo confirmantes volumus, ut pro Seminario Nostro servetur, ut eam, quae decet, iuvenes apprehendant disciplinam.

3. Quamvis de Rectoris vigilantia, aliorumque Institutorum peritia, integritate, solertia nulla sit Nobis vel minima dubitatio; cum tamen Nostra maximi referat, ut in Christiana pietate, et statui suo congruentibus scientiis simul cum annis, Redemptoris instar (4), adolescentuli pro-

(1) Luc. cap. 2. v. 29. et 30.

(2) Epist. Encycl. 30. Martii 1726.

(3) V. i nuovi Regolamenti stabiliti da Monsignor *D. Gennaro Pasca* per lo Seminario della sua Diocesi 1821.

(4) Lucae cap. 2. v. 52.

ficiant; Seminarii Moderatori, caeterisque Ludimagistris recordamur, sibi certatim studendum, ut suo vivendi genere, suisque curis Christiani homines Ecclesiae, obsequentissimi subditi Principi, utiles operarii cunctis praeparentur. Ex Seminario enim optimi quique homines prodire debent: exinde Praeceptores, Canonici, Parochi, Confessarii, Praedicatores.

4. Ut iuvenum animus numquam a Deo abdicetur, saltem bis in anno spiritualia Exercitia peragant. Quotidie Sacrificio Missae assistant: sub noctem vero in consueto Seminarii Sacello SS. Sacramenti visitationem a B. ALPHONSO de LIGORIO scriptam, B. MARIAE VIRGINIS *Rosarium*, eiusdemque *Litaniam* recitare numquam omittant. Bis in mense Sacramentaliter confiteantur; et si id eorum conscientia sinat, communicent. Incumbat in id Rector, cui iuvenum integritas praecipue commissa; sciatque ex ejus iurata fide (qua de morum honestate, in Litteris profectu, Sacramentorum participatione constabit) iuvenum ad Ordines adspirantium sacram pendere Ordinationem (1). Neque minus hanc commendamus provinciam singulis contubernii Praefectis, qui immediate adolescentulis praesunt. Ipsi inter Seminarii alumnos atque exteros (licet cognatos vel affines) consortium vetent; eorum colloquiis, si qua prava sint, intercedant; nullas vel ex alieno contubernio vel e Civitate litteras, nisi Rectoris oculis observatas, recipi sinant; libros, qui ad respectivae Scholae classem non pertinent, multo magis vetitos, prophanos, libertinos, obscoenos ab iis auferant; doctrina Christiana ignaros imbuant;

(1) V. Praesentis Synod. Part. 2. cap. 7. §. 4.

uno verbo, Christianos bene moratos, qui caeterorum sint speculum, efforment. Eos propterea in sacris constitutos optamus: et si id haberi nequeat, ex eorum selectos coetu, qui quamdam ingenii mâturitatem, laudabilemque vitae rationem ostentaverint. Quod si exactos in suo Ministerio se diu praestiterint, quae ecclesiastica preemia dari poterunt a Nobis, negaturi non erimus.

5. Quum ex institutionis unitate scientia suum habeat incrementum, quidquid annuatim a singulis discipulorum classibus perdiscendum est, in Nostra Instructionis methodo ordinavimus (1), ubi de cantu etiam Ecclesiastico per Tridentinum inculcato (2), et iussione Nostra bis in hebdomada tradendo sermo fit. Haec igitur vim habeant, iubemus: et si quid umquam addendum erit, invertendum, amputandum, certiores de hoc facti, de Rectoris Lectorumque consilio, quae opportuniora erunt expediemus. Ut autem adolescentuli quae per totum anni curriculum edocentur, eorum rationem reddere assuescant, scholastico anno exeunte, privatim coram Nobis, seminariique Rectore, adsistentibus Praeceptoribus, examen subibunt, gradum ad classem superiorem pro merito facturi. Tum in publicam prodibunt Academiam, ut gloriae stimulis acti, publicum sibi velint praeconium, paveantque vituperium.

6. Duo praecipua inventutis obiecta, studium sunt et pietas. Si qui igitur pervicaces erunt, ut vel absolute scientiam repellant, vel indocilem pravamque vitam traducant, e Seminario eiiciantur. Sunt enim fuci, ignavum illud pe-

(1) Metodo d' istruzione de' 28. Settembre 1838.

(2) Sess. 23. cap. 18. de Reformat. cit.

ens', quod industriosae apes a praesepibus arcent. Ob non dissimilem causam cavendum, ne quis saecularis, etsi pueri in Ephebei gymnasium admittatur, quum ab huiusmodi commixtionibus non pauca mala trahant originem. Nec ipsi Clerici, qui foris sunt, Seminarii adeant scholas, nisi eos tales indicaverimus, qui de auditorum numero esse possint.

7. Feriarum spatio Convictores nec litteris valedicant, nec religioni. Quaecumque autem de Clericis generatim decrevimus (1), ipsi eo tempore faciant. Vicarii Foranei, et Parochi eorum actiones, occupationes, conversationes scrutentur, ut morbidas oves in Ovile Christi iterum introire non patiamur.

8. Omnibus Dominicis diebus e Nostro Seminario alumni Cathedrali Ecclesiae adsistentiam praestent. In processionibus super omnes alios Clericos tum in Sacris, tum in minoribus ordinibus constitutos locum habeant. Ad nullas autem Ecclesiasticas functiones extra Cathedralem accedant, nisi quo totum Cathedrale Capitulum sese contulerit.

9. Ad Seminarii Oeconomiam quod attinet, Deputati ex Concilii Tridentini praescripto iam nominati inveniuntur, eosque in hac nostra Synodo confirmatos volumus; quorum consilium circa interius Seminarii regimen, si id necessitas exigat, requiremus. Ipsis vero ab Oeconomo suam liberationem consecuturo rationes de bonorum, reddituumque administratione singulis annis offerentur. Si quid in eis offenderint, quod castigatione opus habeat, Nobis prodere non vereantur. Et licet Nos assidue in Seminario ver-

(1) V. Part. 3. Tit. I. de Vita et honest. Cleric.

semur, ut quam optime cuncta procedant propriis oculis conspiciamus, tamen ipsi vigilent Nobiscum, ut si quid corrigendum occurrat, veluti collatis animis germanum iuventutis commodum operemur.

CAPUT VII.

De Parochis.

1. Parochi, qui *Compastores* (1) *et Episcoporum Cooperatores* (2) nuncupantur, Apostolos ipsos auctores suos agnoscunt, a quibus per minora municipia constituti fuerunt Presbyteri (3). In eiusdem ergo sollicitudinis partem vocati sunt, ita ut (Tridentino loquente) eorum sit *oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbi Divini praedicatione, Sacramentorum administratione, et bonorum operum exemplo pascere* (4).

2. Cum in singulis huius Synodi capitibus, quae ad Parochos spectabant delibaverimus, dicta recoquere nec tempus nec otium vacat. Nonnulla ergo heic tantum addemus. Et 1. Singulis Dominicis, aliisque diebus festis, clarescente die, Parochialem, ut moris est, Missam celebrent, cui plebs adesse possit. Hanc profecto Missam pro populo esse applicandam licet ex Tridentini mox laudati verbis non aperte eruatur, plura tamen Sacrae Concilii Congregationis decreta hoc ipsum declaravisse BENEDICTUS

(1) Chrysostom. Serm. de Pseudoprophet.
(2) Concil. Aquisgran. 2. Sess. 2. Can. 5.
(3) V. Bingham. Orig. Ecclesiar. lib. 9. cap. 8.
(4) Trid. Sess. 23. de Reformat. cap. 1.

XIV. egregie vindicat (1). Ex veteri autem instituto promanat, ut post Evangelii lectionem vel per se, vel per alium de Nostra licentia, praedicent: quod adeo ad ipsos spectat, ut nulla eis alia nostra venia ad hoc munus explicandum necessaria sit (2). Sciant propterea ab onere edocendae et erudiendae fidelium plebis, seu concionibus operose lucubratis, seu familiaribus colloquiis et correptionibus fraternae charitatis lenocinio temperatis, sese nullatenus posse dispensari: *Hortamur vos* (sic Theodulphus Aurelianensis Episcopus in suo ad Parochos Commonitorio) *paratos esse ad docendas plebes. Qui Scripturas scit, Scripturas praedicet. Qui nescit, saltem hoc, quod notissimum est, plebibus dicat, ut declinent a malo et faciant bonum. Nullus ergo se excusare poterit quod non habeat linguam, unde possit aliquem aedificare. Mox enim, ut quemlibet errantem viderit, prout potest et valet, aut arguendo, aut obsecrando, aut increpando ab errore retrahat* (3). Hac de ratione factum, ut Paroecianos ab Ecclesia Parochiali ultra tres dies festos abesse veteres Canones non sinant (4). 2. Ne quid pro Sacramentorum administratione accipiant, nisi id quod de iure aut consuetudine tribuendum est (5) 3. Pauperum, aegrotorum, pupillorum, nubilium curam habeant, et si Nostram manum in eorum subsidium noverint necessariam, confidenter loquantur. 4. Delinquentes corripiant, Christianae

(1) V. Benedict. XIV. Instit. X. §. 4. et seq.
(2) Trid. Sess. 5. de Reform. cap. 2.
(3) Capitular. Theodulphi Aurel. Can. 28.
(4) Synodi VI. in Trull. Can. 81.
(5) Ex Cap. Cum contingat 29. de decimis.

puerorum informationi prospiciant (1), rectam Sacramentorum Baptismi (2), Eucharistiae (3) Poenitentiae (4), Extremae unctionis (5), Matrimonii (6) dispensationem curent. Ita enim Aquisgranenses Patres insinuant Parocho, ut cum Paroeciano quovis se gerat: *Si forte vitiosus et criminosus apparuerit, qualiter corrigatur, provideat. Si autem infirmitate depressus fuerit, ne Confessione atque oratione Sacerdotali, necnon unctione Sanctificati Olei per ejus negligentiam careat. Denique si finem urgentem perspexerit, commendet animam christianam Domino Deo suo, more sacerdotali, cum acceptione Sacrae Communionis, corpusque sepulturae, non ut mos est Gentilium, sed sicut Christianorum* (7). 5. Tandem parochiales Libros servent, in quibus, qui baptizati sunt, confirmati sunt, mortui sunt, describantur; necnon ii omnes, inter quos nuptiae sollemnes intercesserunt. Sint autem huiusmodi libri penitus distincti, ut notitiis in unoquolibet expressis nulla confusio ingeratur.

3. Ad Ecclesiae munditiem Parochi generatim attendant, signanter autem in Altari, quo SS. Domini Nostri Corpus repositum est.

4. Exactum animarum suae Paroeciae Statum quotannis redigant, et ad Nos transmittant.

---

(1) Pars. 1. Praes. Synod. cap. 4. §. 3.
(2) Pars. 2. Praes. Synod. cap. 2.
(3) Pars. 2. huius Synod. cap. 4.
(4) Part. 2. huius Synod. cap. 5.
(5) Part. 2. huius Synod. cap. 6.
(6) Part. 2. huius Synod. cap. 8.
(7) Concil. Aquisgran. ann. 836.

5. Postquam singuli Nostrae Dioecesis Parochi fidei professionem emiserint, Sanctissimae Sedi Apostolicae, atque Ordinario pro tempore Episcopo obedientiam spondeant.

6. Tandem nemo e Parochis a suae residentiae finibus absque nostra, vel nostri Vicarii Generalis licentia discedat, tum ut absentiae legitimam discutiamus causam, tum ut ei Oeconomum pro tempore sufficiamus.

CAPUT VIII.

De Ecclesiis Receptitiis.

1. Ecclesiarum, quas dicunt Receptitias, regulas et iura Sanctissimus PIUS PAPA VII. praescripsit (1), eiusque Apostolicas Litteras in forma Brevi Romae datas Augustissimus Rex olim Noster FERDINANDUS I. religiose observari decrevit (2). Ad normam autem Regalium Instructionum (3) Statuta pro Ecclesia Receptitia Terrae Palatiani condi curavimus, quae Regium obtinuerunt adsensum (4).

2. Cum in praedicta Palatiani Terra sex Sacerdotes Participantes Parocho opem ferre debeant, ut animarum cura ex nulla parte posthabeatur, Participantes ipsi suam operam in hoc tanti momenti negotio praestabunt, et a sua residentia idcirco numquam secedent. Illi, qui contumaces fuerint, poenis canonicis sese obligabunt (6).

(1) Constit. Impensa 13. Agosto 1819.

(2) V. il Decreto Reale de' 7. Sett. 1819.

(3) Istruzioni Reali sulle Chiese Recettizie de' 19. Novembre 1822.

(4) V. il Decreto de' 23. Luglio 1831.

(6) Statuto per la Chiesa Recettizia di Palagiano art. 4 V. il Decreto del 7. Ottobre 1815.

3. Cunctis Dominicis, aliisque diebus festivis ad psallendum in Choro Ecclesiae Parochialis se obstrictos sciant, necnon in tribus Matutinis Tenebrarum, in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, atque in Nocte Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi. Infra Defunctorum octavam, interveniente Parocho et Clero, pro omnibus Episcopis defunctis sollemnis Missa celebrabitur, atque alia cantatur Missa in eorum Sacerdotum suffragium, qui e Participantium numero defuncti sunt. Unus autem e Participantibus, dum dies festus est, primam Missam in plebis commodum statim post auroram dicat: ipsum gradatim reliqui sequentur, ita ut ultima prope meridiem hora in Parochiali Ecclesia Missa non desit. Inter Missae Parochialis sollemnia (prout de Parochis sancitum est (1)), Archipresbyter Curatus Evangelium de die explanet, quaeque spirituali animarum saluti magis convenientia noverit, praedicanda aggrediatur.

4. Quo anni die recurrit Episcopi Dioecesis consecratio, in Ecclesia Receptitia Terrae Palatiani, atque in omnibus aliis Ecclesiis principalibus, Cathedrali nempe, Collegiali, Parochiali, cantetur Missa sollemnis ab eo, qui Prima Dignitas est, eoque impedito, ab alio, qui post Primam Dignitatem ordine succedit (2). Finita Missa, sollemne *Te Deum* intonetur. Omnes vero, sive de Clero Saeculari, sive Regulari interesse non desint.

5. Toto Quadragesimali tempore, praeter omnes dies Dominicos et festos, universus Clerus fidei rudimenta pueris tradet, Archipresbyter vero suam cathechesim faciet, sacramque Pyxidis expositionem.

(1) V. Praesent. Synod. Part. 3. Tit. 7. §. 2.

(2) Caeremonial. Episcop. Lib. 2. cap. 25.

6. Circa ea, quae bonorum administrationem respiciunt, omniumque Officialium designationem Statutis inhaereatur.

7. Denique nec Cleri Procurator, nec Clerus universus quamcumque bonorum Ecclesiae alienationem, transactionem, cessionem vel ipothecam sibi licere falso autument; quae omnia sub nullitatis poena, necnon quibuscumque aliis e Jure remediis, speciali hoc Decreto Participantibus prohibita declaramus (1).

CAPUT IX.

De Vicariis Foraneis.

1. Qui in oppidis Dioeceseos vice Episcopi ad levioris momenti causas diiudicandas constituti sunt, Vicarii Foranei appellantur (2). Quae Decanis ruralibus adscribebantur inspectiones, eas omnes sanctissimus Mediolanensium Praesul Vicariis Foraneis demandavit. Cum enim non omnia suis oculis intueri atque a se ipsi exequi Pastores possint, aliorum advocari manum necesse est. Hi ergo invigilare debent, ut animarum cura, Cleri disciplina, Constitutionum Synodalium, sanctaeque Visitationis Decretorum observantia recte procedant.

2. Haec omnia Vicariis Nostris Foraneis sollicitudini sint. Videant ipsi an Parochi suum adimpleant ministerium (3), an Canonici in horarum Canonicarum recitatio-

(1) V. la Ministeriale Circolare de' 4. Gennaio 1834.

(2) Clement. Etsi Principalis.

(3) V. Part. 3. huius Synod. cap. 7. per totum.

nem ea, qua par est, frequentia et decentiā intendant (1); an Clerici eam ducant vitae rationem, ut qui ex adverso est, aliquid de iis dicere vereatur (2); an scandala in populo serpant; an puerorum Chiistianae instrnctioni parentes vacent. Si quis a suo Officio devios inveniant, hos redarguant ea ipsa lege, quam Christus Dominus pro fratribus nostris peccantibus rogavit (3).

3. Itidem curent, ut Casus Morales et Liturgici enucleentur, prout supra a nobis iniunctum est (4).

4. Quod de Sacerdotibus ignotis cavimus, ne scilicet ad Missam celebrandam admittantur, nisi proprii Ordinarii Litteris exhibitis (5), Vicarii Nostri Foranei pariter observent. Id quidem a Patribus Tridentinis prolatum (6) non fugit Sancti Officii Congregationem, quae encyclicis suis litteris decrevit, ut admoneantur Vic. Foranei, ne facultatem celebrandi Presbyteris advenis impertiantur, sive inter Regularem, sive inter Saecularem Clerum adnumerentur: *Nisi Litteras* (sunt Sacrae Congregationis verba) *Episcopi, ac Praefecti Regularis prius ostendant, quibus Sacerdotes ita probentur, ut nulla falsitatis umbra vel suspicio relinquatur* (7).

5. Mandamus, ut saltem in omni quadrimestri Litteras ad nos mittant, quibus de germano Ecclesiae statu,

---

(1) V. Parl. 3. huius Synod. cap. 3.
(2) Epist. ad Titum cap. 2. v. 8.
(3) Matth cap. 18. v. 15.
(4) V. Part. 3. huius Synod. cap. 1. §. 11.
(5) V. Part. I. huius Synod. cap. 2. §. 10.
(6) Sess. 23. cap. 16. de Reformat.
(7) Sancti Officii Congregat. 26. Januar. 1692.

deque bonis, malisque Ecclesiasticis specimen offerant. Quod officium ne deserant, eam praetexentes causam, quod nihil mali obtigerit. Verissimum namque est, quod BENEDICTUS XIV. non sine animi angustia scribebat: *Gravissima facinora saepe committuntur, quae tamen Vicarii Foranei dissimulant, nec de illis certiores nos faciunt; ita ut abstinere a Litteris conscribendis non indicet quidem disciplinae, morumque integram observantiam* (1).

6. Tandem cum Vicarii Foranei sint caeteris Praesbyteris superimpositi ut rectum iter praemonstrent, quodnam monstrum esset, eis viduari ipsos virtutibus, quas in aliis exquirant? Plus ergo opere, quam lingua caeteros corrigant, ne Scribarum et Phariseorum instar super cathedram sedisse videantur, de quibus Christus Jesus: *Quaecumque dixerint verbis servate et facite: secundum opera vero eorum nolite facere* (2).

CAPUT X.

De Sanctimonialibus et Regularibus.

1. Quae castae et sanctae Mulieres monasticarum Virginum priorum Ecclesiae saeculorum vitam amplexae sunt, *consument opus suum magno pretio destinatum* (3) Ut autem ad exempla vetera sese exigant, quam sollemnem regulae observantiam sunt professae, saepe animis volutent.

---

(1) Benedictus XIV. Institut. 102. §. 13.
(2) Matth. cap. 23. v. 3.
(3) Cyprian. de Habit. Virgin.

orationi, silentio, obedientiae attendant: charitatem inter se habeant, ut cum plures sint, unam tamen Virginem Christo exhibere videantur (1). Hoc commendamus Monialibus Claristis, quae sub regula S. FRANCISCI duobus in hac Civitate claustris detinentur; hoc idem Claustralibus ex Ordine S. BENEDICTI, quae Massafrae sunt. Quae omnes sub omnimoda Nostra iurisdictione degentes, in Monasticis officiis adimplendis sint vigiles, ut, Sponso adveniente, non eant cum fatuis Virginibus emere oleum, quia earum lampades extinguuntur: sed ornent lampades suas, atque obviam Sponso exeuntes intrent cum eo ad nuptias(2).

2. Cum Moniales in continua ascesi et poenitentia distineri debeant, atque adeo non secus ac Monachi plangentis statum sustineant (3), castitatis votum ne violent, quod vitae monasticae ita proprium est, ut ne a Summo Pontifice quidem relaxari posse INNOCENTIUS III. rescripserit (4). Quaecumque ergo eo tendunt, vel tendere saltem possunt, ut incontinentia nutrimenta habeat et lasciviat, ea omnia praesenti Synodo succidere intendimus. I. Clausura, quam BONIFACIUS VIII. (5), et post ipsum Concilium Tridentinum (6) Monialibus generaliter imposuerunt, Nostris pariter Monialibus indicta sit. Frangi autem Clausuram sciant, tum si ipsae sine Pontificis venia e Mo-

(1) Epist. 2. ad Corint. cap. 11. v. 2.
(2) Matth. cap. 25. v. 1. et sequent.
(3) Hieronym. epist. 53. ad Ripar.
(4) Ex de Statu Monachorum cap. 6.
(5) In Cap. Periculoso unic. de Statu Regulari in 6.
(6) Sess. 25. de Regul. et Monial. cap. 5.

nasterio temere egressae fuerint (1); tum si extranea in Monasterium ingredi sinant, absque Nostra vel Nostri Vicarii Generalis licentia (2). 2. Nemini etiam liceat ad Collocutoria accedere quavis causa vel quocumque praetextu, ut Moniales inviset et visitet: quem casum cum excommunicatione nobis reservatum voluimus, prout in generalibus nostrae sanctae Visitationis decretis (3), et in casuum reservatorum pro nostra Dioecesi tabella (4) consignatum est. Patres tantum et Matresfamilias, omnesque in primo et secundo gradu coniuncti (si rationabili motivo adsistantur) ad Collocutoria accedere bis in hebdomada possint. Excepti tamen intelligantur Adventus et Quadragesimae dies, necnon ii quibus Exercitia spiritualia agenda sunt, quibusqne idcirco ad solum Deum Creatorem omnium elevanda mens est. 3. Monasterii claves, senescente die, Cappellano Ecclesiae, vel Procuratori (si tum sit Sacerdos) a Monasterii Abatissa tradantur, qui sub Auroram eas eidem Abatissae reddat. Si necessitas aliqua urgeat, ut Monasterii ianua post expletas diei horas nocturno tempore reseretur, sequenti die Procurator (ut supra) vel Cappellanus necessitatem facti coram Nobis producat. 4. Prohibemus tandem, ne munuscula aut litteras quomodolibet Moniales mittant vel recipiant.

3. Obedientiam, quam spoponderunt, tum erga Or-

---

(1) Constit. Pii V. incip. Decori et honestati.

(2) Trid, Sess. et Cap. superius cit.

(3) V. i Decreti Gener. di S. Visita per le Monache del 16. Marzo 1829.

(4) Tabella de' Casi Riservati colla scomunica per la nostra Diocesi num. 2.

dinarium, tum erga Superiorem pro tempore profitebuntur, si nullum sibi ininnctum officium recusent, nullum ambiant negatum. *Prima confoederatio* (aiebat Hieronymus de Aegypti coenobitis) *est obedire maioribus*, *et quidquid iusserint facere* (1). Obedire antem in omnibus debent, *sine mora*, *non tepide*, *et cum bono animo* (2), ita ut virtute obedientiae unanimes in charitate sint, et ad obsequendum non poenarum metu, sed aequitate ducantur.

4. Neque quidquam Monialibus attentandum est, quod professam paupertatem Evangelicam pessumdat. Nihil ergo apud se peculiariter retineant, sed omnia sint in communi; nihil mercatura, manuumque labore sibi comparent, atque ab omni commercio cum Saecularibus ob hunc finem abstineant. Quod si quicquam secundum tolerantiam ex earum industria corrasum sit, id offerant Abatissae, ut non in sui tantum, sed in totius Communitatis emolumentum insumatur (3). Ex eadem panpertatis lege parco utantur cibo; nec cito querimonias tollant, si non ea qualitate et quantitate esse obvenerit, quam frequentius ipsae habent. Vestes antem Monialibus singulis annis, vel etiam pluries in anno (pro varia Monasteriorum conditione) assignentur; neque ulla praerogativa quasdam Moniales prae aliis Abatissa distinguat.

5. Novitiae, quae per secreta suffragia ad habitum religionis recipientur (4), antequam eum induant, Sacramento Confirmationis signentur, et per decem continuos

(1) Hieron. Ep. 22. ad Eustach. cap. 15.

(2) V. la Regola di S. Benedetto cap. 5.

(3) V. i Nostri Decreti Generali di S. Visita de' 16. Marzo 1829. art. 13.

(4) Sacra Congr. Episcop. et Regal. 4. Jan. 1608.

dies spiritualibus Exercitiis dent operam (1); idemque praestent, antequam vota sollemnia nuncupent. Degant vero tempore Novitiatus sub Magistrae cura et regimine, atque a caeteris Monialibus seiuncta habitatione vivant (2). Monasticis interim regulis sese accomodent; quae tum ad rectum Monasterii ordinem, tum ad spirituale cuiusque bonum intenduntur. Denique ante mensem professionis faciendae, Abatissa de re certiores nos faciat, alias, quamdiu Nobis placebit, ab officio suspensa sit (3).

6. Ex primis Ecclesiae saeculis mos manavit, ut puellae in Monasteriis Monialium educentur. Sane Hieronymus quum ad Laetam scripserit, rationem tradidit, qua ipsius filia informaretur: *Noli subire onus, quod ferre non potes: postquam ablactaveris eam, redde aviae et amitae. Nutriatur in Monasterio, sit inter Virginum choros, nesciat saeculum, vivat angelice, sit in carne sine carne, omne hominum genus sui simile putet*«. Qua de re cum hic ista vigeat consuetudo, illud volumus, ut numquam puellae educandae recipiantur, nisi, re discussa, intra canonicam aetatem veniam Apostolicam obtinuerimus. Separatim vero a caeteris sub Magistra ipsae morentur; monasticae disciplinae supra enunciatae conformes sint; quolibet semestri in pecunia anticipata alimenta solvant. Eo autem ornentur vestitu, qui decentiae virginali conveniat. Unde S. Carolus Borromaeus de ipsis sic decernit: *Nigri tantummodo, aut fusci, aut albi coloris vestes non*

(1) Innocentius XI. Litter. encyclic. Sacr. Congr. 9. Oct. 1682.
(2) Sacra Congregat. 10. Martii 1593.
(3) Trid. Sess. 25. de Regul. et Monial. cap. 17.

sericas adhibeant, *et nullo praetextu exquisito utantur ornatu*, *nec concinnatae incedant*, *neque inaures*, *neque monilia*, *aut eius generis inanes delicias ferant*(1).

7. Ad chorum tum Moniales, tum Novitiae atque Educandae horis determinatis adveniant, atque audito campanae sono caeteris omnibus valedicant, ut divinas laudes devote psallant (2). Ubi duo signanter commendamus, 1. ut officium divinum distincta nec propera voce dicant, animumque suum interea ad Deum convertant: 2. ut antequam officium inchoetur, ad omnem confusionem cavendam tum quae antiphonas, tum quae lectiones recitare debebunt, ab Abatissa determinentur (3).

8. Ad Confessionis et sanctae Communionis Sacramenta saltem singulis mensibus suscipienda ex ipsa Tridentina ordinatione tenentur Moniales (4). Quin immo, ut pietatis fervor in eis magis excitetur, optandum profecto est, ut singulis hebdomadis, atque adeo singulis diebus sacramentali Eucharistiae cibo reficiantur. Ad mentem vero Innocentii XI. *omni diligentia*, *suavi tamen ratione curamus*, *singulas Moniales adduci*, *ut spiritualibus exercitiis operam quotannis praebeant*, *quo tempore magis opportunum videbitur*, *ut studium ad virtutes excolendas renovetur*; *quod maxime necessarium est*, *illis praesertim*, *quae claustris inclusae perfectiorem vitae*

(1) Constit. Synod. lib. 6. §. de Puellis Saecularibus n 4.

(2) Clement. 1. de celebrat. Missar.

(3) V. i Nostri Decreti Generali per le Monache de' 16. Marzo 1829. art. 6. e 7.

(4) Sess. 25. de Regul. et Monial. cap. 10.

disciplinam atque institutum profitentur (1). Unus porro Confessarius Monialium omnium confessiones excipiat, isque a Nobis adprobatus. Praeter ordinarium Confessorem alius extraordinarius, qui omnium confessiones audire debeat, bis aut ter in anno a nobis offeretur.

9. Ut Monialium proventus recte administrentur, expensarum rationes quotannis exigemus; et quos inanes et superfluos sumptus offenderimus, omnino impediemus. Ut igitur expensarum libri ad examen a nobis vocentur, sub cuiusvis anni exitum eos nobis praesentet Procurator. Nec terminos in *Statu*, ut inquiunt, *discusso* assignatos ipse transcendat; et si quid amplius necessitate superveniente indulgendum est, ad Nos adpellet. Secus de proprio tenebitur.

10. De Regularibus pauca subdemus, eaque externum Ecclesiae ordinem spectantia. Et quidem, 1. Ne sibi praedicandi facultatem asserant, etiam in suorum Ordinum Ecclesiis, ubi nos contradixerimus (2) 2. Confessiones audire fidelium ne praesumant, nisi ad id specialiter a nobis adprobati (3). 3. Sanctissimum Sacramentum absque Nostra venia in Ecclesiis suis ne exponant (4). 4. Processionibus, de quibus infra, quando de iure aut consuetudine interesse tenentur, interveniant. 5. Ad claustra Monialium numquam accedant, etiamsi per horae quadrantem id faciant (5). 6. Ab eo Episcopo Ordines susci-

(1) V. Benedict. XIV. Instit. 29. §. 22.
(2) V. Part. I. huius Syn. cap. 3. §. 6.
(3) V. Part. 2. huius Syn. cap. 5. §. 3.
(4) V. Part. 2. huius Synod. cap. 4. §. 9.
(5) Sacra Congreg. Concil. 11. Maii 1669.

piant, in cuius Dioecesi monasterium situm est (1). Quod innuit Tridentinum illis verbis: *unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur* (2). At quum Regularium Praefecti dimissorias Litteras subiectis suis iuxta CLEMENTIS VIII Constitutionem elargiti fuerint, ut horum ordinatio ad Nos referatur, Nos quidem iuxta eiusdem Pontificis sententiam (3), necnon Regia Rescripta (4) experimentum de iis faciemus idoneum, ut non sine informata conscientia Ordines administremus. 7. Postremo hortamur in Christo Jesu, ut suo vivendi genere nemini dent offensionem, sed Deo gloriam, atque fidelibus aedificationem concilient. E suis ergo claustris mulieres eiiciant, et ipsi extra claustra mulierum consortium devitantes. Nec se sistant in viis, nec domus civitatis absque ulla necessitate circumeant. *Si cupis esse* (eos cum Hieronymo alloquimur) *quod diceris Monachus, idest solus; quid facis in urbibus, quae utique non sunt solorum habitacula, sed multorum* (5)?

(1) Can. si quis. Dist. 58.
(2) Sess. 23. cap. 8. de Reformat.
(3) Constit. 15. Mart. 1596.
(4) Ministeriale de' 15. Marzo 1823.
(5) Hieron. Epist. 13. ad Paulin.

CAPUT XI.

De Processionibus.

1. Processiones publicas non esse recentioribus saeculis introductas, sed antiquitus institutas, praeterit neminem (1). Nonne instaurata Hyerosolima, in eius muri dedicatione intervenientibus Sacerdotibus, Levitis et populo pro tanto beneficio quaedam veluti processio facta est? (2) Nonne ipse Christus sollemni processione Jerusalem ingredi voluit, dum turbae, quae procedebant, et quae sequebantur, clamabant dicentes: *Hosanna Filio David: hosanna in altissimis*? (3). Salutarem hanc Ecclesiae praxim hodiedum venerantes, ut rite processiones fiant, quaedam de iis delibare non erit inopportunum.

2. Ad publicas processiones, quae nempe peraguntur in die festo ss. CORPORIS CHRISTI, in Litaniis maioribus, in Rogationibus, ac in quibuscumque aliis publicis et consuetis, vel pro bono, causa, aut honore publico, non tantum omnes de Clero saeculari, sed etiam omnes Regulares iuxta URBANI VIII Constitutionem intervenire iubentur (4). Regulares interim ad publicas processiones accedentes, ne Crucem deferant sine pallio, seu velo pendente, cui inhaereat Sancti Fundatoris effigies (5). Omnes autem Sodalitates seu Congregationes Crucem baiulent, eamque velo contectam. 3. Servata quidem cuiusque dignitate processio in-

(1) Baronius Annal. Tom. 5.
(2) Esdrae cap. 12. per totum
(3) Matth. cap. 21. v. 7. e 10.
(4) Constit. 27. Jul. 1618.
(5) Sacra Congreg. Rit. 4. Jun. 1617.

stituatur, ita ut Canonicos praecedant Portionarii et reliqui Sacerdotes, hos Seminarii Convictores; deinde Regulares, tandem ratione antiquioris institutionis Confraternitates laicales. Mares vero a faeminis secludantur, atque hae nullam spirantes mundanam vanitatem modesto agmine sacram Processionem comitentur.

4. Absque nostra licentia in scriptis numquam novae processiones fiant (1): consuetae confirmantur in hac Synodo. Processiones autem omnes eo redeant, unde exiverunt: nec nisi de mane habeantur (2).

5. Quum per Processiones Sacrosanctae nostrae Religionis Mysteriorum memoriam renovemus, et debito cultu Sanctos Dei homines prosequamur, quis non videt quanta decentia opus est, quantaque fidei sinceritate, ne exteriores hi pietatis ritus indignitate nostra nostraque impietate deturpentur? Quod si in sacris Scripturis maledicitur *qui facit opus Dei negligenter* (3), quid si contemptus aut scandalum cum negligentia consocientur? Qui igitur in processionibus inter Clerum partem habent, exterius sese ferant cum iis singuli insignibus quae sua sunt; interius autem eo instincti affectu, quo toti in Deum ferantur. Adhuc enim verendum est, ne irreverentia lacessitus in virga furoris sui nos affligat Deus, ut olim percussit Bethsamitas, quod Arcam Dei Bethsames remissam non satis reverenter conspexissent (4).

---

(1) Sacra Congreg. Concil. 17. Decemb. 1602.
(2) Reali Rescritti del 2. Novemb. 1835. e 27. Aprile 1836.
(3) Jerem. cap. 48. v. 10.
(4) Lib. I. Regum capit. 4. v. 21.

CAPUT XII.

De Exequiis.

1. *Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et caeteri, qui spem non habent*(1). His profecto verbis erigebat Thessalonicenses Paulus, quos eodem tempore edocebat, fidelium defunctorum corpora in tumulis requiescere, eosque dormientes appellari, quia certum est eos resurrecturos. Inde pompa, qua apud omnes gentes iusta persoluta sunt, variique sepeliendi ritus, spem futurae resurrectionis praeseferentes. Atque inde etiam cur religioni fuerit fidelibus penes sepulcra martyrum tumulari, ut eorum meritis adiuvarentur.

2. Jam vero Christianorum generatim cadavera posteriori aevo in Ecclesiis omnia humata sunt, ut fideles ad Ecclesiam convenientes eorum animabus suffragari reminiscerentur. *Prodest mortuis* (sic in iure scriptum est) *si in Ecclesia sepeliantur, quod eorum proximi quoties ad eadem sacra loca veniunt suorum, quorum sepulturam aspiciunt, recordantur, et pro eis Domino preces fundunt* (2). Quicumque ergo ex hac vita decedens nulla secum habeat argumenta, quibus saltem probabiliter de aeterna eius salute credi possit, sepultura Ecclesiastica

(1) Epist. ad Thessalonic. cap. 4. v. 12.
(2) Cap. Cum Liberum 6. de Sepulturis.

carere debet. Hinc ea digni non sunt I. Judaei, Turcae, Pagani. II. Catholicorum infantes, si certo sine Baptismo decesserint. III. Publici haeretici et notorii excommunicati, nisi vel haeresim in mortis articulo abiuraverint, vel publicae poenitentiae signa dederint (1). IV. Item in duello decedentes (2), semetipsos voluntarie occidentes. Qua tamen in re non praepropero animi consilio, sed prudenti charitate agatur (3).

3. Quisque in sua Paroecia sepulturae donetur, demptis iis qui vel eam elegerint, vel ad sepulcra maiorum ex tacita sepultnrae electione deferantur: quod quidem stabit, donec Campus funebris, vulgo *Campo santo*, extruatur. Sint antem sepulturae ab Altaribns remotae, prout Concilium Mediolanense I. voluit: *Sepulcrorum ipsorum in posterum aedificandorum ostium longe absit ab Altaris scabellis ligneis vel bradella cubitis ad minus tribus. Sepulcra vero ipsa ad scabellum ligneum non pertingant* (4).

4. Neque ante solis ortum, vel post solis occasum exequiae fiant; nec in Ecclesiam feratur cadaver, dum Missa solemnis (praesertim Pontificalis) celebretur, aut concio habeatur, ne Divina officia perturbentur. In ipsis vero Exequiis Crux non a laico, sed a clerico superpelliceum induto praeeunte portetur.

4. In cuiusvis fidelis Christiani obitu mortuariae cam-

(1) Sacra Congregat. Episcop. et Regul. 19. Julii 1619.
(2) Constit. Benedict. XIV. Detestabilem.
(3) Real Rescritto del 10. Ottobre 1828.
(4) Concil. Mediolan. I. part. 2. Decre. visitat. Apost. verb. Sepult.

panae de more pulsentur. Per octo autem dies, defuncto Summo Pontifice, idipsum annuncient, et omnes Cleri maiori, quo possunt, apparatu officium Defunctorum et Missam sollemnem, singuli vero Presbyteri privatam Missam pro illius anima dicant. Quum vero nos, Nostrique successores animam Deo tradiderimus, per tres dies continuos omnes Campanae Dioecesis funebre dent signum. Porro tres primi de Capitulo vicinum Episcopum, vel eo impedito, alium invitent, a quo defuncto Episcopo una cum saeculari et regulari Clero sollemni more parentetur. Eius tamen expectationis gratia corpus Antistitis ne ultra quadraginta horis insepultum iaceat (1). Praeterea Dignitates omnes et Canonici Ecclesiae Nostrae Cathedralis, omniumque Collegiatarum, Parochi, et Sacerdotes eodem obitus die Missam pro illius anima celebrent, ut in aeterna recipiatur tabernacula. Clerici omnes seorsim, vel in communi pro illius anima Officium Defunctorum recitent. Post exacta funera Summi Pontificis vel Episcopi, publicae supplicationes fiant, in quibus universus Clerus a D. O. M. orbato gregi Pastorem petat, qui ad sui ministerii munus idoneus esse possit. In die mortis Episcopi anniversaria ab Episcopo successore vel a prima Dignitate Capituli Cathedralis et Collegialis Missa pro Episcopo proxime defuncto dicatur, cui omnes Canonici adsistant (2). Infra octavam Defunctorum ab eadem prima Dignitate Capituli seu Cathedralis seu Collegialis, quemad-

---

(1) V. Benedicti Syn. Dioecesan. de Funeribus et Exequiis cap. 1. et seq.

(2) V. Coeremonial. Episcop. Lib. 2. cap. 18.

modum et a Cleri Receptii Archipresbytero, et a Parochis in omnium Summorum Pontificum, atque Episcoporum Defunctorum suffragium canatur consueta Missa sollemnis (1).

6. Quando eleemosynae pro Missis Defunctorum vel votivis a fidelibus cuiquam peculiari Sacerdoti erogantur, volumus, ut numquam in Congregationum Laicarum Cappellis cum laicorum ministerio celebrari licitum sit; sed in Ecclesia, quam vocant Matricem: hoc fiat universo Clero adsistente, cuius frequentia Ecclesiasticos ritus reddit augustiores. Si qui contra egerint, suspensionem incurrant.

7. Coemeteria, quae sonant Dormitorium, ea erant antiquitus, in quibus christiana cadavera condebantur; nullique, nisi Episcopo, Abbati, Presbytero, vel laico sanctitatis fama praeclaro in Ecclesia tumulari licebat (2). At quoniam contrarium hodie inductum est, desiderandum saltem, ut Coemeteria prope Ecclesias non desint, in quae putrefacta ossa ab Ecclesiae sepulcris traduci possint. Volumus ergo ut infra sex menses a praesentis Synodi die numerandos tam a Capitulo Cathedrali, quam ab Ecclesiis aliis Collegialibus et Parochialibus Coemeteria effodienda curentur.

DE PRAESENTIS SYNODI DECRETORUM OBSERVANTIA.

Ascendit Rex templum Domini et omnes viri Juda, universique qui habitabant in Jerusalem, et cum eo Sacerdotes et Prophetae et omnis populus a parvo usque ad magnum: legitque cunctis audientibus omnia verba libri foederis, qui inventus est in domo Domi-

(1) V. Part. 3. huius Synodi Capite 8. §. 3.

(2) Capit. Nullus 18. caus. 13. 9. 2.

ni. Stetitque Rex super gradum, et foedus percussit coram Domino, ut ambularent post Dominum, et custodirent praecepta eius, et testimonia, et caeremonias in omni corde et in tota anima, et suscitarent verba foederis huius, quae scripta erant in Libro illo: acquievitque populus pacto (1): Ita quidem in libro quarto Regum de Josia scriptum, qui non novam legem populo dedit, neque novum cum Domino pepigit foedus, sed vetus pactum legemque veterem veluti animis Iudaeorum obliteratam resignavit. Neque Nos quid novi huic Christiani gregis parti Nobis concreditae proposuimus, sed eamdem *Romano-Catholicam* sanctamque fidem, eadem Sacramenta et disciplinam explanavimus, vindicavimus, confirmavimus. Ipsa ergo Divina auctoritate, qua ad Ecclesiae iura tuenda vocati sumus, quaecumque in hac Synodo expressa sunt, pro lege haberi decernimus, eaque devoto obsequio ab universo Clero suscipi et adimpleri nullatenus addubitamus. In suo similiter vigore permaneant omnia Nostra Edicta vel *sanctae Visitationis* Decreta., quae nempe annis 1828, 1830, 1832, 1836, et quae ab hoc anno usque ad praesentis Synodi celebrationem, pro re nata a Nobis emissa sunt: quibus in ea tantum parte derogatum putetur, quam pro aliis emergentibus circumstantiis Synodus haec verbis conceptis emendavit. Tandem, ut nulla subeat ignorantiae excusatio, volumus ut omnes e Clero intra bimestre ex Synodi hujus publicatione sanctiones istas sibi comparent, evolvant, et publice perlegant, *ut verba haec quae posuimus in ore eorum, non recedant*

(1) Lib. 4. Reg. cap. 23. v. 2. et 3.

de ore eorum, et de ore seminis eorum, amodo, et usque in sempiternum (1).

SYNODI PARENETICON.

Cordi nostri est, Fratres Dilectissimi, Consacerdotes Venerabiles, semper Nostri animi curas rebus communibus avidissime impendere, ut nihil a Nobis incoeptum, imperfectum relinquatur (2). Cum ergo post *Seminarii* Dioecesani erectionem illud unum Nobis superesset agendum, ut, convocata *Synodo*, vetustissima fides Catholica comprobaretur, Sacramentorum usus exponeretur, et quae Decreta sanctae Visitationis erant sparsa, quaeque nova ad disciplinam desiderabantur, in unum veluti Codicem redigerentur: non id quidem passi sumus relinquere infectum, sed caelesti brachio sustentati hoc ipsum opus incoepimus, atque ad umbilicum perduximus. En itaque *Dilectissimi Fratres, Venerabiles Consacerdotes*, Ecclesiasticarum Legum tabulas, pro quibus veluti pro aris et focis pugnandum Vobis est. In ipsis viriliter atque alacriter adimplendis nec minimum vacilletis. Hoc est vestrum bravium. Currite ergo, et sic currite ut comprehendatis. Vos eam haereditatem habebitis, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit, eaque aeterna benedictione a Sanctissima Trinitate post vitae huius curriculum donabimini in coelis, quam Nos in tota cordis Nostri effusione vobis impertimur in terris: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Amen.

PETRUS EPISCOPUS CASTELLANETENSIS.

(1) Is. Cap. 59. v. 21.
(2) Decret. de Emendat. Cod. Dom. Iustinian.

J. U. Doctor Alexander de Felice Vicarius Generalis et Rector.
Joseph Archidiaconus Tafuri U. J. Doctor.
Franciscus Cantor Cassano.
Nicolaus Spissi Thesaurarius et Parochus.
Canonicus Antonius Gentile.
Thomas Canonicus Meledandri.
Stephanus Canonicus Frisino.
J. U. Doctor Petrus Tinella Canonicus Poenitentiarius.
Dominicus Canonicus Fiorito.
Joannes Carolus Canonicus d' Alagni.
Josephus Laurentius Canonicus Specchi.
Xaverius Canonicus Meledandri.
Archangelus Canonicus Bufano.
Emmanuel Canonicus Greco.
Angelus Sarapo Canonicus.
Nuntius Canonicus Fico.
Joannes Canonicus Ventrella.
U. J. Doctor Franciscus Archidiaconus Caramia et Parochus Ecclesiae Motulensis et Vicarius Delegatus.
Franciscus Thesaurarius Lemarangi Ecclesiae Motulensis Procurator.
Joannes Canonicus Matarrese Ecclesiae Motulensis Procurator.
Cosmas Cantor Scaligina Vicarius Foraneus Ecclesiae Massafrensis.
Canonicus Prior Nicolaus Frappietri Vicarius Curatus Ecclesiae Massafrae.
Emmanuel Decanus Scarano Procurator Ecclesiae Massafrensis.
Vincentius Canonicus Bernalda Procurator Ecclesiae Massafrensis.
Doctor U. J. Franciscus Antonius Lemarangi Ecclesiae Montulensis Canonicus Theologus, Procurator Domini Xaverii Lazazzara Archipresbyteri Ecclesiae Palatiani.
Joseph Angelus Lorè Oeconomus Curatus Ecclesiae Palatianelli.
Ignatius Conte Portionarius Ecclesiae Castellanetensis huius Synodi Notarius.
Dominicus Canonicus Buttiglione huius Synodi Dioecesanae Secretarius.

CASUS ORDINARIO RESERVATI

PRO UNIVERSA DIOECESI CASTELLANETENSI.

Casus quibus est adnexa Excommunicatio.

1. Excommunicatio maior a iure, vel ab homine lata.

2. Allocutio cum Monialibus, vel aliis degentibus in Monasteriis, etiam in Conservatoriis, absque licentia, vel cum licentia de rebus obscoenis tractantes, et ad easdem trasmissio litterarum, vel nuncii ad malum finem.

3. Concubinatus publicus, vel secretus personarum, etiam seorsim habitantium.

4. Homicidium volontarium, ejusque mandatum, vel consilium.

5. Abortum procurantes ante vel post foetum animatum, eiusque mandatum vel consilium.

6. Abusus Sacramentorum, Sacramentalium, et Sacrorum, necnon Sortilegium, Veneficium, Maleficium, Incantatio, et quaelibet alia Superstitio, cum expressa Daemonis invocatione.

7. Accedentes dolose ad Parochum ad contrahendum Matrimonium non praemissis Denunciationibus, aliisque a S. C. T. praescriptis.

8. Sponsi, vel Sponsae, post contracta Sponsalia, etiam private inter se, et ante Matrimonium legitime celebratum, carnalem inter se copulam habentes. Necnon parentes, consanguinei, vel affines omnes, aut quicumque

domus curam habentes, eamdem carnalem copulam inter eosdem Sponsos, etiam pro una vice permittentes.

9. Sponsi frequentantes domus Sponsae ultra tres vices; necnon parentes, consanguinei, et ii, quorum in custodia sunt Sponsi, id non impedientes.

10. Efformantes vel adfigentes et evulgantes libellos famosos, necnon caecas literas, dantes etiam ad Superiorem nocendi animo, sive per se, sive per alios.

11. Arbores, plantas, vel vites fructiferas, causa iniuriae vel damni incidentes, comburentes vel eradicantes.

12. Confessarii ad inhonesta quamcumque personam ex sibi confitentibus in actu Confessionis, vel ante vel post immediate sollicitantes.

13. Coniurantes contra Principem, eisque consilium, favorem vel auxilium dantes.

CASUS, QUIBUS NON EST ADNEXA EXCOMMUNICATIO.

1. Bestialitas, Sodomia, Incestus in primo et secundo consanguinitatis et affinitatis gradu, Incestus etiam ex cognatione Spirituali, necnon peccatum contra naturam inter virum et mulierem respectu virorum tantum.

2. Lenocinium exercentes, hoc est inducentes faeminas ad peccandum carnaliter.

3. Blasphemantes Deum, vel Beatam Virginem, Sanctos vero per tres vices.

4. Depositio falsi cum iuramento, et Instructio dolosa, seu subornatio Testium in iudicio examinandorum cum damno tertii, eiusque mandatum vel consilium, cuius facultas non intelligatur concessa etiam in generali concessione casuum reservatorum. Falsificatio Scripturarum, et

Archivii Episcopalis, et Ecclesiae Cathedralis, vel quorumcunique locorum Piorum.

5. Percussio Parentum.

6. Detentio Infantium in lectulo ante completum annum sine aliqua cautela, vel repagulo.

7. Defloratio Virginum vi vel dolo.

8. Non adimplentes praeceptum Paschale a Dominica Palmarum usque ad diem Ascensionis Domini inclusive, interdicti poenam ipso facto incurrant, et Confessarii eos non absolvant. Si vero fuerint denunciati, absolutionem Nobis tantum reservamus.

9. Contractus usurarius.

10. Impuberibus, vel mulieribus quoad carnalia nulla est reservatio; et quoties datur facultas absolvendi ab Incestu, intelligitur etiam concessa dispensatio (quatenus opus sit) pro coniugatis ad ius petendi debitum. Qua de re poenitentes moneantur a Confessariis.

11. Parochi aliique Confessarii ipsa die dumtaxat celebrationis Matrimonii Sponsos et Sponsas ab octavo casu cum censuris reservato absolvere possunt.

Moneantur Confessarii antequam absolutionem Sacramentalem poenitentibus elargiantur, ut interrogent patres vel matres in statu inferiori, sive plebeo constitutos, si eorum filios in statu puerili degentes ad Sacram Doctrinam addiscendam mittant, saltem frequenter non mittant, eos non absolvant.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 5. v. 11. Verabili	Venerabili
7. v. 6. eiusqe	eiusque
10. v. 10. Tum	Iam
13. v. 3. Tum	Iam
14. v. 7. internam	externam
15. v. 6. veteris Patres	veteres Patres
20. v. 2. et annus. Altare	et annus , A tare
21. v. 4. non visus	non risus
22. v. 3. e suggesta proclamantur	e suggestu proclamentur
22. v. 17. Tam	Jam
25. v. 3. non indicent	non indicent
27. v. 26. ut omnis vera iustitia vel coepta augeatur	ut omnis vera iustitia vel incipiat , vel coepta augeatur
28. v. 2. circumierit	circumierint
35. v. 15. ut opere iniuncta	ut opera iniuncta
35. v. 25. intelligant , ob Jesu Christi	intelligant , sed ob Jesu Christi
38. v. 10. non renuturum	non rixaturum
42. v. 4. vidisset offusa	vidisset effusa
46. v. 13. adolescientiae	adolescentiae
52. v. 11. traducat	traducant
52. v. 15. Quamdiu aetatis	Quamdam aetatis
54. v. 16. ipsi Sanctitatis , scilicet	ipsi Sanctitatis Fonti , scilicet
58. v. 22. Politicum regimem	Politicum regimen
82. v. 22. tum sub Nostra	tum inferiores Clerici statuto tempore conveniant ut sub Nostra
94. v. 9. nulla insuffragante causa	nulla ei suffragante causa
100. v. 25. observatas	obversatas
102. v. 2. e 3. etsi pueri	etsi puer
112. v. 1. tum si extranea	tum si extraneos
112. v. 16. si tum	si tamen

OMNIUM HUIUS SYNODI

CAPITUM SYLLABUS.

Dioecesanae Synodi Indictio. . . . . . pag. v
Allocutio ix

PARS I.

Synodi Partitio. 3
Caput I. *De Fide* 8
Caput II. *De praecipuo Fidei mysterio*, *nempe de* Missae Sacrificio 15
Caput III. *De Fidei veritatibus evangelizandis.* 21
Caput IV. *De parvulis in Fide instituendis* 26
Caput V. *De singularibus Fidei operibus* 29
Caput VI. *De Fidei fructibus*, *nempe de Indulgentiis* . . 33

PARS II.

Caput I. *De Sacramentis.* 37
Caput II. *De Baptismo* 41
Caput III. *De Confirmatione.* 46
Caput IV. *De Eucharistia.* 49
Caput V. *De Poenitentia* 57
Caput VI. *De Extrema Unctione* 65
Caput VII. *De Ordine* 68
Caput VIII. *De Matrimonio* 73

PARS. III.

Caput I.	*De vita et honestate Clericorum*	77
Caput II.	*De Capitulo Cathedralis Ecclesiae.*	83
Caput III.	*De Chorali servitio et disciplina*	88
Caput IV.	*De Thesaurario, Theologo, et Poenitentiario.* . .	93
Caput V.	*De Conclusionibus Capitularibus, ubi de officialium electione et munere.*	95
Caput VI.	*De Venerabili Seminario.*	98
Caput VII.	*De Parochis*	103
Caput VIII.	*De Ecclesiis Receptitiis*	106
Caput IX.	*De Vicariis Foraneis.*	108
Caput X.	*De Sanctimonialibus et Regularibus*	110
Caput XI.	*De Processionibus*	118
Caput XII.	*De Exequiis*	120
	De Praesentis Synodi Decretorum Observantia.	123
	Synodi Pareneticon.	125
	Casus Ordinario reservati	127